* *
*

JEMINA
DE
FEBRI EPIDEMICA.

30373/B

F.XVII.29

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28762277

DE FEBRI EPIDEMICA

63586

DE FEBRI EPIDEMICA

MARCUS ANTONIUS JEMINA

Philos. & Med. Doctor , & Academiæ Reg. Scient. Taurinenſis correſp.



MONTEREGALI 1785.

TYPIS FRATRUM DERUBEIS.

Unum hoc molior, ut quo pacto hæc res ſe habuit nuper, adſtipulante paucorum annorum obſervatione, enarrem; quod ad has ſcilicet regiones ſpectat, & hanc, in qua degimus, urbem.

Sydhenam de morbis epid. ſect. 1. cap. 11.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

CUm jamdiu hac illac per urbes, & oppida Pedemontana, loca præſertim Subalpina vagata eſſet febris epidemica, de qua præclari Cuneenſes medici Fornerj, & Lanteri, cum in eorum patria graſſaretur, ſcripſerunt, cujus item, cum Pinerolium infeſtaret, eximius Doctor Vaſtapane meminit, illuc ſubſidio miſſus Taurino, poſtquam varios, & finitimos pagos, atque vicos circumiſſet, tandem huc quoque pervenit Montemregalem patriam mihi cariſſimam, ibique annis 1783, 1784 commorata eſt. Tunc

temporis ad morbi de novo ingruentis naturam inveſtigandam, ejuſque indolem penitius inſpiciendam animum ſerio adjicere mei muneris eſſe arbitratus ſum, tum hiſtorias ægrotantium in dies conſcribere, & in adverſaria obſervationes referre. Hinc hiſtoriarum, & obſervationum cumulus extitit ingens. Has in lucem edere venerat in mentem, ſi forte quid inde commodi, quod ſentio quam ſit exiguum, ſi quid exigui in re tanti momenti, in patriam emanaſſet. Cum, Deo dante, morbus ceſſit, proptereaque mutato conſilio, quod propoſueram, abjeci, oblivioni potius, quam typis mandaturus. Nunc illum in alias, & quidem proximas regiones migraſſe, huc, illucque exilire animadverto, & quæ febris ibi extincta videbatur, alibi reviviſcere, imo aliorſum translatam recrudeſcere

ſcere

ſcere. Hinc fit, ut quod abjeceram, denuo in mentem redeat, neque abs re fore reputem, quod jam erat in promptu, morbi hiſtoriam evulgare cum animadverſionibus, id tum ad morbi indolem dignoſcendam, tum ad ejuſdem curationem nonnihil conferre poſſe ratus. Quod enim fieri ſolet quotieſcumque novum morbi genus epidemice incidit, in quo nihil adhuc uſus oſtenderit, ut medentes in varias diſcedant ſententias; illud hic etiam uſuvenit. Alii namque febrim bilioſam, alii atrabilarem, alii a vermibus, alii malignam, alii putridam, inflammatoriam alii, & ſi quæ alia ſunt nomina, appellantes, non modo in contrarias abeunt ſententias, verum etiam, quod rei caput eſt, in diverſas curandi vias procedunt, donec per diuturnas obſervationes, & periculoſa experimenta rectam

 ſibi

ſibi ſternant, modo ſemper ineptæ, & deterrimæ non inſiſtant. Si quid lucis itaque ad eam ineundam meis præferam obſervationibus, quas mihi occaſio heu nimium frequens ſuppeditavit, æqui, bonique faciant, iiſdemque libenter utantur, ſi quos idem impoſterum, uti conſuevit, aggrediatur morbus, neque imparatos invadat. Quod ſi aſſequar, voti plane compos nil aliud quæram.

Scribendi cauſſam habes, lector benevole, nunc ordinem accipe.

Quoniam, ut ait Celſus, non poſt rationem medicina inventa eſt, ſed poſt inventam medicinam ratio quæſita, morbi hiſtorias, & quidem ſingillatim præmittam, Hippocratis morem ſequutus in epidemiorum libris, & obſervationes à ſenſu unice pendentes. Has namque firmo innixas talo ſuum ſemper manebit

pre-

tium apud æquos rerum æſtimatores; dein ſubjiciam quæ ex illis poſitis conjectura aſſequi queunt, & ab opinione proficiſcuntur. Hæc incoſtantia quidem ſunt, & in dies ſeneſcendo mutantur pro hominum ingenio. Interim nemo iis acquieſcere cogitur, & morem invitus gerere, ſed conſectaria ad libitum quælibet elicere cuique fas erit. Ex ægrorum hiſtoriis multo pluribus, eas tantum, ſimilibus, paribuſque rejectis, excerpſi, quæ ad rem magis videntur accommodatæ. Labor quidem tædio, & moleſtia plenus legentibus, cum eadem ſæpe ad faſtidium uſque repetere neceſſe ſit, ſed utilitate refertus, quippe qui ſub oculos ponere decumbentes videatur, & clariorem morbi ideam in mente fingere aptior ſit.

Scrip-

Scriptorum nomina, & auctoritates conſulto omiſi, cum facile plures congerere potuiſſem, & teſtimonia teſtimoniis cumulare, ne pompam eruditionis inanem oſtentare intempeſtive viderer, & liberculus in majorem molem excreſceret.

Opuſculum itaque in duas partes divido, quarum prima ſinceras obſervationes, ſecunda opiniones continet cum medendi methodo.

PARS

PARS PRIMA.

FInitimæ hinc illinc regiones febri epidemica conflictatæ fuerunt Niella, Frabuſia, cujus finibus adhuc in præſens tempus inhæret, Cluſia, Vallis Piſii, Planiſetum, nuper Villanova, nunc Piperagnus. Narſole quoque modo affici per literas ab amico Medico datas certior factus ſum, hancque illuc translatam ab oppido Caralio fuiſſe a muliere morbo capta. Quandiu ſit duratura, & quo ſe vertet deinceps, ignoro.

Primum hac febre laborantem ruri vidi in conſilium vocatus mille paſſus ab urbe procul

ad

ad occaſum, ineunte vere anni 1783 paſtorem ovium. Paulo poſt propius urbem juxta mœnia matrem cum filio colonos; ibidem hoſpitio receptus fuerat pauper advena, qui non curatus obierat, ut renuntiarunt, eadem febri. Filia, & gener, qui huc convenerant matris, & ſoceræ morbo interfuturi eamdem febrim paſſi ſunt domi ſuæ, quo reverſi fuerant procul ab hinc ter mille paſſubus; dein in urbe unus, & alter, mox plures affici, tum turmatim, atque catervatim ejuſdem domi plures decumbere cœperunt, ſicque ſenſim increbreſcere, & a parte meridionali ad ſeptemtrionalem ſe ſe diffundere. Hæc ſiquidem pars urbis omnium maxima, & incolis frequentiſſima collis inter radices, & flumen Ellerum interjacet ad occaſum obverſa, ad ſupernam reſpectu habito, in longitudinem exporrigitur a meridie ad ſeptentrionem. Namque Monsregalis tribus ferme partibus conſtat æquæ ab invicem diſtantibus ſeptingentis, vel octingentis paſſubus, quarum una collis verticem inſidet, alia, de qua ſermo eſt, in valle ſita, tertia ad ſeptemtrionem in planitie poſita, ita utquam-

quamdam trianguli æquilateri ſpeciem eminus intuentibus exhibeat, cujus anguli incolantur, latera ſint incolis vacua. Saluberrimo fruitur aere. Cum parentibus non raro filii, familiares, & domeſtici ſimul plures corripiebantur, e plebe maxime, & infimæ ſortis homines, illi etiam, qui cum ægris verſarentur muneris, vel officii ergo, inviſerent, miniſtrarent, famularentur. Plurimos affecit, non paucos ſuſtulit, ita tamen ut multo plures ſervarentur, quamvis omnes in vitæ diſcrimen conjicerentur. Interea dum hæc urbis pars febri implicabatur epidemica, reliquæ duæ, ſuperior illa, & quæ ad ſeptemtrionem locata eſt, liberæ adhuc, & immunes aliquot menſibus perſtiterunt, donec ad eas quoque pertigit. Hujus genius, & ſymptomata ex hiſtoriis deſcribendis innoteſcent.

Matrem, & filium colonos curavi extra mœnia urbis, de quibus ſupra mentionem feci. Mater febri detinebatur non ſemper ſibi æquali, veſpere intendebatur aliquando, mane ſe remittebat, pulſu non duro, virium debilitate ſumma, quæ abiit in tremorem, & motitationem aſſiduam in artubus, & facie, ſtupida obſur-

deſcebat

deſcebat, dejecit vermes lumbricos, pulſus facti debiles, & parvi, pluribus diebus in vitæ diſcrimine verſata eſt moroſa, & omnia faſtidiens, tandem convaluit.

In filio robuſto 25 annorum febris vehementior cum ſudore, & cephalalgia, ſanguis miſſus coccineus, pluries alvus ducta, & ſudor cohibitus, nam de miliari ſuſpicio erat ex ſudoris ſpeciatim olentis impetu, & artuum *granſ*. Capitis dolor tranſiit in ſoporem cum ſurditate, & ſenſuum hebetudine, ex quo conjeci de noſtra epidemica febri, lumbricos excrevit, convaluit. Remedia fuere aqua fontana cum aceto, vel ſucco limonum initio, pulv. alexipharmacus in progreſſu, & extremo.

Gener ſupra laudatæ annos agens 30, robuſto præditus temperamento poſt violenta exercitia huc, illuc curſando ad affines præcipue ſuos morbo prehenſos, poſt varia in diæta errata, namque ſe vino, & cibis ingurgitaverat, incidit in adverſam valetudinem cum nauſea, & ciborum faſtidio. Aliquot poſt diebus ſic tranſactis decubuit vexatus ventris torminibus, & aſſidua vomendi cupiditate, ore inſuavi, aliiſ-

que

que cacochyliæ ſignis cum febri. Propinatur emetico-catharcticum refractis doſibus ſumendum ex tartari emetici gran. VI, pulpæ tamarindorum drag. II ſolutis in lib. I aquæ communis, ſuſdeque vomitum, & alvum movit ſubſequente ſymptomatum ventris levamine, poſtridie ejus diei pergit febris, pulſus nec fortis, nec durus, noctes inſomnes, delira loquitur, facies rubra, oculi turbidi, auditus gravis, aliquot maculæ apparent in cute, tamquam pulicum morſus, tendinum ſubſultus in brachiis, ſanguis initio miſſus fuerat floridus; 7, vel 8 decubitus die delirus, ſomnolentus obmuteſcit, emulſionem camphoratam vix primoribus labiis attingit, & conſtanter rejicit, vel ore detentam, nec ſorptam reſpuit, dorſo cucurbitulæ affiguntur inciſa cute, ſynapiſmi pedum plantis, alter Medicus me abſente veſicantia cruribus præceperat, cum unc. I rob ſambuci in aqua ſoluti, quod alvum duxit. II die in cute nihil conſpicitur, levis tantummodo rubor hic illic notatur, febris parva, calor acer. Miſi ſpiritum vitrioli bibendum in decoctione ſcordii. 12 ſomnolentia diſcutitur cum delirio, pluries

alvus

alvus ſoluta, melius habere, tum valere renuntiatur, habitabat aliquot miliariis a me procul. Adfuerat ſocro, & cognato morbo laborantibus epidemico.

Mulier ætatis annorum 38, vel 40 febri epidemica vehementiori corripitur, ſanguis miſſus floridus, diarrhæa humorum viridium ſupervenit, mens ſtupet, ter purgatur rhei, & cremoris tartari, utrorumque ſcrup. 11; ſeptima die acceſſit ſurditas nunc gravior, nunc levior, dein viſus debilis, & turbidus, pulſus exigui, calor mediocris, decubitus ſupinus, prius camphoram nitro junctam ſumpſerat cum infuſo ſcordii adjecto aceto, poſtea idem infuſum addito vino, dempto aceto, & pulveres alexipharmacos ex camphora, ſerpentaria virginiana, & contrayerva cum china china. Res eadem ratione conſiſtunt uſque ad diem 14., lingua tegitur obſcura fæce, nec non dentes inciſivi, alvus compreſſa, febris minuta, reſpiratio difficilis cum tuſſi interdum humida; die 15 febris quievit, jacet ad latera, convaluit ſuperſtite mentis ſtupiditate.

Mulier

Mulier annos agens 30 me vocat inviſenda, inveni febrem cum pulſu contracto, calore mediocri, capitis dolore, ſanguis miſſus coccineus, quædam ſurditas acceſſit cum viſus imbecillitate ejuſmodi, ut lumen candelæ pallidius, & minus ſolito videretur irradiare, aliquis membrorum tremor, pulv. ex camphora cum nitro, & ſerpentaria virginiana, infuſum rutæ cum aceto, 13 die febris parum aucta, calor intenditur, queritur de moleſta auditus gravitate, capitis perturbatione vertiginoſa, diarrhæa fluebat cum lumbricis, tuſſiebat, cætera tandem meliora cum ſalute.

Goana filia annos nata 20 febri laborabat epidemica, cum oſtendit peticularum ſanguinearum agmen in collo, pectore, brachiis, & reliquo corpore. Dejicit fæces liquidas, & flavas cum lumbricis inſcia, & obſurdeſcit, ſic ſe habuit ad diem 13, delira, loquax, labia, & lingua ſicca cum dentibus inciſivis, & caninis atra pellicula obductis, peticulæ evanuere, perventum eſt ad dies 18. Obmuteſcit, & dentibus ſtridet, cibum mediocrem aſſumit, febris miteſcit, pulſus ad naturalem accedit.

20 die caret febri non delirio, tandem convaluit. Remedia rheum cum cremore tartari initio, poſtea decoctum ſcordii adjecto prius aceto, poſtmodum vino, camphorata, china china & cæt, ſynapiſmi pedibus.

Goanus homo annos agens 30 febri epidemica correptus fuit, quæ utrinque, & domum patris ſui, & uxoris occupabat, tuſſiebat, & dolore capitis torquebatur, ſanguis detrahitur pleuriticus, 8 die auditu, & mente capitur, febris pauca, peticulis ſcatet frequentibus, emulſione utitur camphorata, aquam frigidam bibit ſpiritu vitrioli aceſcentem, 9 delirium ſopitur, 10 idem, pulſus frequentior, & celerior, peticulæ delentur, 11 mens rediit ita, ut ſacris fuerit imbutus, Sacramento nempe Euchariſtico. Nox mediocriter quieta, pulſus inordinatus. 12 alvum demittit in lecto, urina ex relatu obſcura, 13 idem, 14 ſudor copioſus, ſurditas minuta, pulſus elatior, 15 ſalus reddita cum appetitu ciborum.

Fenolia filia 20 annorum aliquot poſt diebus ab incommoda valetudine, & horripilationibus febri affecta decumbit, pulſus duriuſculi,

calor

calor mordax , bis ſanguis miſſus pleuriticus ad uncias octo. Febris pergit cum doloribus crurum , fit ſurda , dein ſtupida , & ſomnolenta cum manuum tremoribus , languida , aſſiduo ſupina , mutit commiſſis dentibus , rigidiſque maxillis , alvus ſtiptica , clyſteribus , vel ſuppoſitoriis inſtigata fœces reddebat naturales , parum tuſſis aderat cum ſputo , mixtura datur camphorata , potiones ſubacidæ , 12 inquies cum delirio , 14 febris miteſcit cum pulſu debiliori , 15 idem , abbhorret ab omni victus , & medicamenti genere , cupit vinoſa , quæ conceduntur , 16 alvum egerit naturalem , hebes adeo , ut vix oculos , & oris hiatum reperire noverit , rubedo , & puſtulæ ad dorſum , ſitus mutàtio ſuadetur , 21 ſine febri , pulſus valde debiles , mens imbecillima , ſæpe nec adſtantes , nec domeſticos , nec me Medicum agnoſcit , heri cœpit proximi vici ſtrepitum exaudire ſemper ſtiptica , convaluit.

Filia Peirona annos agens 15 circiter matre, & ſorore natu maxima a febre epidemica convaleſcentibus ipſa quoque ægrotat. Dolebat prius corporis habitus univerſus , poſtea crura ,

febriebat mediocriter, calor acer, ſanguis miſſus cruſta tectus pleuritica, alvus ſemper adſtricta non niſi clyſteribus ſolvitur, dies morbi 7 nihil aſſumit præter aquam, cui acida ſint adjecta mineralia, frequentes tendinum motus perſentio in brachiis, confugio ad camphorata, 11 febris minor, caput vertiginoſum cum ſurditate, & aurium ſibilo, 12 idem, 13 idem, ſenſim conſanuit.

Gadinus juvenis annorum 23 poſt mediocrem ægritudinem mente motus fuit, e lecto noctu ſurgere nitebatur quaſi limax, vel teſtudo domiporta lectum laturus, febris continua, pulſus fortis, calor acer, ſurditas, bis ſanguis miſſus pleuriticorum inſtar, pulveres præſcribuntur ex camphora cum nitro, 12 omnia mitiora, continuat ſurditas, febris abeſt, domum petiit paternam ex xenodoxio, in quo erat. Paulo poſt ejus ſoror, tum parentes eodem morbo domi laborarunt.

Amedeus annos natus 50, & amplius, domi uxore viduatus ex hac febre jam tres filios eadem vexatos in noſocomium miſerat, tum ipſe ſequitur, poſtquam domi aliquot dies incom-

modam

modam valetudinem ſuſtinuiſſet. Eum invenio parva febri detentum, pulſus ſiquidem vix 85 pulſationum ictus edebat minuti intervallo, cum capitis dolore, nauſea, & pravo oris ſapore, præſcribo ypecaquanham, vomuit pravorum copiam humorum cum ſtomachi levamine, & capitis, febris perſeverat, ait ſe bene valere, & vana loquitur, ſumit pulverem alexipharmacum Svviettenii, quod ex ſerpentaria virginiana, controyerva, china china, & camphora conflatur. Sic perventum ad 7 diem, facie rubet, calor acrior, pulſus parum mutati, aliquot ſubſultus, & tremores manuum, emulſio datur camphorata idemtidem devoranda, 9, 10, & ultra pulſus minimi, tremores, & ſubſultus frequentiores, oculi ſuffuſi, diarrhæa, ſurditas, tinctura ex ſerpentaria virginiana, china china aqua cinamomi, & camphora, 12, 13 idem, 14 febris nulla, vertigo, & capitis turbatio, difficultas in pronunciando, 15 ſanitati reſtituitur, & domo DD. NN. illic filio operam præſtiturus, paullo poſt filius eodem fuit morbo coflictatus.

Brocierus annorum 20 in febrem incidit continuam cum frequentibus digitorum motitationibus, & brachiorum, totius corporis dolore, & capitis; pulſus duriuſculi, noctes inſomnes cum vaniloquiis, ſanguinis pleuritici miſſio inſtituta, ſumit cremorem tartari, qui copioſam alvum eduxit, camphoram nitro junctam, & ſpiritum vitrioli in potionibus. 8 dies agitur, ſubſultus tendinum frequentes, caput turbatum, alvus liquida, auditus gravitas cum murmure, 9 idem, 10 dormiit, in melius verſa ſunt omnia, emulſio hauritur camphorata, 11 eadem cum mixtura pringlii ex china chinæ, ſerpentariæ virginianæ ſingul. drag. 3 in aqua communi ebullitis ad conſumptionem medietatis, addita aqua cinamomi, & ſyrupo e corticibus aurantiorum, convaluit.

Filius Vaſſalini Veſpillonis ætatis annorum 18 ægrotavit menſe auguſto communi morbo, petiit, ut in noſocomium traduceretur, non potuit excipi ob defectum lectuum, negligitur, quadam die obviam occurrit, per vicum a patre ſuffultus, qui vix labantem ſuſtinere pote-

rat

rat, & ducebat ad Eccleſiam Patrum s. Nicolai, ut ei benediceretur; exploro pulſum, invenio febrilem, parvum cum modico calore, cutem peticulis undique conſperſam, mente ſtupidum, ſurdum. Paucis inde diebus illum rurſus offendo ſurdum quidem, at a febre liberum, & petechiis, abſque ullo adhibito remedio, quod notatu dignum.

Dominum Bonada virum annos agentem 40 in noſocomii ædibus inhabitantem (ubi cum ægris epidemica febri affectis ſæpe verſabatur) cum magno capitis dolore febris iniit, ideo bis vena ſecatur ſanguine educto inſtar gelatinæ concreto, os erat pravi ſaporis cum ſtomachi dolore, lingua ſordida, febris adeo ſe remittebat, ut ad apyrexiam tendere videretur, ac de tertiana ſuſpicionem injiceret, tempeſtas namque opportuna erat, ſumpta ypecaquanha cum tartaro emetico copioſi vomitus excitati, & alvi dejectiones, febris ſemper parva, ſemifatuus, uber diarrhæa, oculi lucidi ſplendentes, ſanguine ſuffuſi, vox faucibus hæret, & pene deficit, pulſus debilis, manus frigidæ alexipharmacis ſuccurritur, & vinoſis. 9 ali-

quot petechiales maculæ efloreſcunt in brachii flexura, & alibi, diarrhæa ſuppreſſa, abdomen tumet, lintea in lecto commingit inſcius, veſpere caloris incrementum acris, mordaciſque, mens ſtupet, in oculorum albo, ſeu conjunctiva maculæ adſunt lividæ, velut ecchymomata cum vaſorum ramuſculis ſanguine infarctis ſicut in ophthalmia, vultus flentis imaginem refert, veſicans nuchæ, & clyſter ſubter datur, quædam anxietas additur, redit diarrhæa, quam continere nequit, & inſcius deſidet, vomendi conatus, 10 manus valde tremunt, corporis truncus immotus, & ſupinus jacet, pulſus exiles, imbecilli, parvi, inæquales, fere ſemper ſomno indulget, interdum oculis ſemiclauſis, interrogatis ægre, vix, ac ſubmiſſe reſpondet, nihil queritur, imo bene habere ait. 11 idem, ſingultus, ſudor frigidus e capite guttatim manat, induſii, & linteorum aſperiores rugæ, fimbriæ, & oræ in brachiis, & reliqua cute vibices imprimunt, ac ſi virgis cæſa eſſet, ad diarrhæam compeſcendam theriaca andromaci ſuadetur cum ſale volatili, 12 ſingultus ſedatus, diarrhæa parcior, reliqua eadem, tinctura alexiphar-

xiphármaca, aqua communis frigida cum quarta vini parte pro potu ordinario, 13, vel 14 mors. Cadaver liveſcit in facie, & trunco.

Chauſſa homo ætatis annorum 40 jacet in noſocomio, hic poſt ægritudinem 3, vel 4 dierum febrilem huc ſe receperat cum febri valida, pulſu duro, & vehementi, calore intenſo, ter ſanguis pleuriticus emiſſus, emulſiones nitratæ. 7 in epidemicum morbum labitur, fit ſtupidus, ſurdus, cum pulſu humiliori. Camphora cum ſale prunellæ exhibetur, caput gravatur cum delirio, & continua manuum jactatione, mens inſana, duo cruribus veſicantia, diarrhæa involuntaria, mixtura camphorata, obiit.

Amedeus filius jam laudati 18 annos natus eodem tempore, ac pater febri laborabat, ſed vehementiori, item capitis dolore, & pulſu validioribus, bis ſecta vena ſanguinem fudit pleuriticum multo ſero innatantem, capitis dolor lenitus, 4 die bolum ex camphora conſerva roſarum excepta devorat, 5 humeri punctis rubris notati cum pectore, & brachiis leviter adſperſis, ſurditas cum murmure, & bombo,

6 febris

6 febris modica, pulſus contracti, calor ſubacer, aliquot copioſiores ſtillæ ſanguinis e naribus jam a tribus diebus, 7 quædam diluta oculorum ſuffuſio cum facie rubra, caput turbatum, confuſio idearum, vertigo, alvus liquida, miſtura pringlii ex ſerpentaria virginiana, & china china. 8 idem, 9 fere reſtitutus ſanitati, purgatur rheo cum cremore tartari, 10 ſanus.

Mulier gravida 4 menſibus, ætatis annorum 25 poſt aliquot ægritudinis dies, quibus adhuc negotiis domeſticis vacaret, cubile petiit cum febri, & capitis dolore, pulſu duriuſculo, difficili reſpiratione. Quater vena ſecta, ſanguis floridus, 3 die mane levatur, veſpere ingraveſcit. 7 pectus oppreſſum cum ſputis pituitoſis, & ſanguinis ſtriis, febris nonnihil invaluit, ſitum erectum affectat ob reſpirationis anguſtiam, auris una obſurdeſcit, quod in epidemicum morbum lapſam declaravit, præſcribo camphoram nitro junctam. 8 difficultas ſpirandi aucta, facies pallida cum rubore genæ ſiniſtræ circumſcripto, œdema ad artus inferiores, decoctio radicum fæniculi, & petroſelini urinas

civit

civit copioſas, febris, œdema, dyſpnæa ſublata, & convaluit.

Mulier N. N. ætatis annorum 30 in febrem incidit cum capitis dolore, rubet facie, dolet corpore, tuſſi ſicca quatitur, ſanguis mittitur floridus. 4 calor acer, mordax, ſiccus, febris ingraveſcit, ſitis inexplebilis, ſtipticitas, clyſteres inditi, potiones emulſionatæ, aqua hordei cum ſpiritu vitrioli, 5 mane febris remiſſio cum capitis dolore, veſpere exacerbatio prægreſſis horripilationibus, 6 idem, pulvis præſcribitur ex cremoris tartari, & ſalis polychraſti ſingul. dragm. 1 omni trihorio. 7 idem, 8 idem, levis ſurditas cum mentis ſtupiditate. 9 mane remiſſio, veſpere augmentum caloris acris, pulſus contracti, parvæ diametri, nec diarrhæa, nec oris pravitas, nec aliud cacochyliæ ſymptoma; utitur emulſione camphorata in aqua ſcordii, 10 mane remiſſio, veſpere augmentum caloris, & ſudoris poſt perfrigerationes, 11 idem, 12 pulvis alexypharmacus Svviettenii, quem china china ingreditur, qui repetitus cum levamine, & ſalute.

Mulie-

Mulierem Turcho curandam excepi ab altero hactenus curatam, annum agebat 24. Hæc poſt aliquot errata in cibo ex farina ſubacta, nec fermentata inciderat in febrim parvam, copioſius purgatur, menſtrua fluxerunt debitis temporibus, quibus recte fluentibus ſanguis e pede bis detractus, ſubſtiterunt, dein rurſus copioſius manarunt. 7 petechiæ fuſcæ ſe produnt, 9 mihi, ut innui, traditur curanda, exſcreatur ore ſanguis, qui e naribus ferri videbatur, pulſus celer, parvus, vermes excrevit, tremor tendinum cum delirio, & ſurditate, facies pallida, frigidæ potus cum ſpiritu vitrioli inſtillato ad gratam aciditatem, mixtura camphorata, 10 mane remittunt, veſpere ingraveſcunt ſymptomata, convulſiones aſſiduæ, peticulæ fuſcæ, calor acer, dormit oculis ſemiclauſis, cognitione, & loquela amiſſa, mors.

D. F. ætate annorum 25 temperie bilioſa præditus cœpit queri de ſtomachi, & ventris infarctu, una cum alvi ſtipticitate, & capitis dolore, ideo jam ſumpſerat pilulas purgantes, & caſſiæ pulpam; ſed in caſſum omnia; conſilium

filium a me petiit, invenio febri carentem, præſcribo pilulas ex aloe, quibus irritis ſumit bis illas ſuccini ſua ſponte, quæ parum præſtiterunt. Supervenit febris cum ſenſu continuo, ut idem ajebat, infarcti ventris faucium, & gulæ tenus, purgatur pulpa tamarindorum, & rheo, interim caput dolebat, pergebat febris cum pulſu parvo, contracto, bis ſanguis miſſus floridus, inquietudo, & ſenſus moleſtus ſtomachi, & capitis, ſanguis e naribus exſtillavit ad unciam, & repetiit 5, aut amplius diebus ſucceſſivis, noctes inſomnes, aliquando deliria, tremores, & tendinum ſubſultus in brachiis, ſynapiſmi pedibus imponuntur. Bibit ſpiritum vitrioli potui admixtum, ſerum lactis vinoſum, alvo fluente excrementis præter modum fœtentibus rheo ſuccurritur, & cremore tartari. Ita perventum eſt ad diem 11, lingua ſordida cum aphtis, aliqua ſudatiuncula, pulſus inconſtans, nunc elatior, nunc depreſſior, febris item nunc aucta, nunc minuta, caput turbatum, aliquis exſcreatus ſanguine tinctus, mentis ſtupor cum ſurditate, noctu dormiit. Pulvis alexipharmacus Svviettenii. 12 mador, febris valde mitis, cum

fæcibus

fæcibus lumbrici ejécti, 13 idem, 14 melius, 15 levis mador, pulſus debilis cum ſurditate, longa convaleſcentia. Ad cibi appetitum acuendum conſerva juniperi, abſinthium.

Valetudinarii cuſtos 65 annos attingens pluribus epidemico morbo tentatis adſtiterat, perfrigerationibus febrilibus, dein calore urente ipſe capitur cum cephalalgia, crurum, & lumborum dolore: ſanguis miſſus floridus, inconſtanter ſurdus, nunc magis, nunc minus. Os fæculentum cum cardialgia. Corpus ſuſdeque excutitur vomitu, & alvo ope tartari emetici. Febris ſe remittebat, corpus rigidum, ac ſi palus renibus infixus, debilis præter modum, & e lecto ſurgere impotens, quod ſæpe fruſtra tentabat, ſubdelirium aderat cum vaniloquio, & ſomnolentia. Frigidam bibit, cui acetum, vel ſuccus limonii, vel etiam ſpiritus vitrioli ſit adjectus. 6, vel 7 dies agitur, agmen peticularum in brachio maxime dextero purpurearum, coloris nempe intenſe rubri, aliquot, ſed rariores in coxis, pulſus debilis, vox ſubmiſſa, ſomnolentia profundior, nihil queritur. 8 veſpere calor acrior, pulſus inæqualis,

veſicans nuchæ affigitur, 9 nox inquieta, deglutitio difficilis, lingua pelle obſcura velatur, manus, & brachia contremiſcunt, mingit inſcius in lecto, 10 idem, convulſionibus concutitur in toto corpore ita, ut faſciis eum lecto alligare opus ſit, ne labatur, ingemiſcit, & labiis tremit, ac ſi horreat frigore, pulſus parvi, debiles, inæquales, parum frequentes, adhuc novit adſtantes, 11 idem, jam a tribus diebus nullum capit cibum, tremore quatitur univerſali, 12, 13, 14 idem, moritur.

Cadaver ſecatur, pia meninx obſcuro colore infecta, flacida, & ſolito tenerior, & laceratu facilior, cerebri ſubſtantia aſſulatim inciſa punctis rubris ſcatebat undique, cerebellum in ſuo cortice tenerius, molliuſque cerebro ita, ut tanto illud mollitie vinceret, quanto ab illo in ſtatu ſano ſuperari conſuevit. Seri ſanguinei copia in cranii baſi, & cerebri ventriculis. Inteſtina gangræna affecta, uti etiam ambitus abdominis extrinſecus oſtendebat colore livido fædus, pudenda gangrænoſa, non ſecus ac oſſi ſacro ſuperſtrata cutis.

Filiam

Filiam annos natam 18 menſtruatam, attamen cachecticam febris invadit cum capitis, & totius corporis habitus dolore, & moleſta tuſſi. Sanguis non ſemel rheumaticus miſſus, febris mane aliquando videtur remittere, veſpere exacerbari, utitur diluentibus, emulſis, nitroſis, pectoralibus. 11, 12, 13 idem. Febris, & ſymptomatum diminutio finem pollicentur. 14, 15 febris exaſperatur cum capitis dolore, qui jam ceſſarat. Suſpicatur de febre intermittente, tempeſtas namque erat appoſita menſis auguſti, & plures affligebantur, attamen quædam ſurditas additur, quæ ſuſpicionem adduxit de febre maligna tunc ibi epidemica, ideo camphorata cum nitro in uſum vocantur. 17 febris minuta cum capitis dolore, 18 capitis dolor abeſt, pauca tuſſis, convaluit.

Mulier ruricola ætatis 33 annorum febri laborat cum vehementi capitis dolore. Bis vena ſecta, ſanguis naturali ſimilis, ſuperveniunt membrorum dolores, crurum præcipue, caput dolet extrinſecus ad tactum, quamdam ſurditatem advertunt adſtantes, oris amarities. Purgans propinatur, alvus copioſe ſoluta cum

ver-

vermibus , corporis habitus doloris expers , caput item , & crura , ſurditas major cum oris amaritie , fauces dolent, 9 ſomnolentia , diarrhæa , pulvis ex rhei , & cremoris tartari ſingul. ſcrup. 2 , jam camphorata adhibebat, 10 melius habet , noctu dormiit, aures tinniunt cum ſurditate , pulſus parvi , non frequentes , ſtupiditas mentis cum propenſione ad ſomnum , 12 pulvis alexipharmacus Svviettenii , & convaluit .

Sechi mulier in flore ætatis conſtituta febri corripitur validiori cum capitis dolore . Otioſum egi ſpectatorem primis diebus , tandem ſanguinem mittere opus fuit , qui corio inflammatorio obductus extrahitur , menſtrua eruperunt , febris mane remittebat . 3 animi deliquia cum nauſea; 4 tartari emetici gr. VIII in lib. I aquæ communis ſoluta dantur ex cochleari , ſexta parte vix hauſta vomuit bilioſa , & alvo depoſuit, veſpere caloris acris augmentum ; 5 nauſea cum animi defectionibus , ventris borborygmi ; 6 cremoris tartari drachma I devoranda exhibetur omni trihorio , pluries alvus mota ; 7 pulſus conciderunt , auditus gravitas acceſſit , membra contremiſcunt , tendines ſubſiliunt , camphora

nitro juncta præbetur; 8 idem, dolor capitis lenitur; 9 mane remiſſio, veſpere exacerbatio, camphorata ſumit; 10 pulſus parvus, calor acer, caput turbatum, confuſum, ſtupidum, fæces alvinæ liquidæ, præter modum fætentes, pulvis alexipharmacus Svvietenii porrigitur, noctu dormiit; 11 idem, calor acer pulſui non reſpondens, ejuſque velocitatis gradum excedens, ſomnolentia; 12, 13, 14 ibidem; 15 ſalus.

Garavagnum ruſticum 50 annorum, qui paucis ante diebus uxore orbatus fuerat hac ipſa febre defuncta, accitus adeo. Narratur jam ab aliquot diebus ita ægritudine affectum, ut debilis vix ſe ad civitatem contuliſſet conſilium a Medico petiturus, domum reverſum, quæ miliari diſtabat, humi procumbere ubivis, & ſomno indulgere tota die omnia faſtidientem; tum decubuit cum febre, & capitis dolore, qui duobus, aut tribus diebus perduravit, poſtea evanuit, ſuccedente ſurditate cæteris hac epidemia afflictis communi cum manibus tremulis, obſtupebat mente, & inſtar fatui adſpiciebat, pulſus febrilis, ſed arctus cum aliquali duritie, reſpirabat ac ſi coryza detentus nares aſſiduo manu ſcalpens, cutis

macu-

maculis puncticularibus obſita, alvus excernebat bilioſa, pulvis alexipharmacus datur cum vino; 10, 11 iiſdem manentibus ſymptomatibus acetum camphoratum cum ſerpentaria virginiana, convaluit.

Gollæ annos nato 25 epidemica febre vexato propter cephalalgiæ vehementiam bis ſecta vena, ſanguis alicubi rheumaticus educitur. Ob oris pravitatem, & cardialgiam emetico-catharcticum exhibetur, quod perbelle egit, febris interim pergebat remittens, fit ſurdus; 12 manus tremebant, ſitis inextinguibilis; 13 calor acer, lingua ſicca, & obſcuro velamine tecta, ſomnolentia, in quam labitur vix ſibi relictus, urina modo rubra, modo flava, veſicans nuchæ appoſitum videtur e ſomnolentia excitaſſe, pulvis item camphoræ cum ſale prunellæ, & emulſio camphorata profeciſſe, & ſanitati reſtituitur. Hujus uxor paullo poſt peperit, inde incidit in eamdem febrim cum ſurditate quoque, pulſu parvo, univerſali debilitate, maxime laſſitudine doloroſa partiali brachiorum, & manuum, ita ut vix pugno valeret comprehendere, convaluit iiſdem adhibitis remediis.

Ziola bajulus quinquagenarius vino deditus, cum febris epidemica vigeret, & plures plecteret, atque domi ejus uxorem afflixiſſet, cæpit queri de perfrigerationibus, & ægritudine cum parva febri, quin tamen lecto ſe contineret, quo ſe brevi recipiens ſtipticitatem advertunt plurium dierum, clyſteres indi nequibant, noctes inſomnes tranſigebat, & inquietas, mens obnubilata, pulſus febrilis, non vero tenſus, calor modicus, ex ſecta vena ſanguis floridus, purgatur electuario lenitivo, vaniloquus, & interrogatis inepte reſpondens, domi ob rem anguſtam remedia adhiberi vix poterant, in xenodochium exportatur, hic alvus mota præter voluntatem in lecto, fit ſtupidus, ſurdus, ſemper jacens in dorſo, ſuper brachia, & truncum ſæpe nitebatur nudus e lecto ſurgere, eruperunt peticulæ, fluente diarrhæa, rheum cum cremore tartari ſumit, item acetum camphoratum adjecta ſerpentaria virginiana. Obiit 9, vel 10 morbi die, pulſu prius formicanti facto, vix febrili, & ſenſibili cum aſſiduis tendinum motibus, & brachiorum rigiditate.

Sacerdos B. domum infirmorum publicam hoſpitalem inhabitabat, eique ægris ibi cubantibus miſſam celebrandi, confeſſiones audiendi, ſacra miniſtrandi, ſuprema morientibus officia perſolvendi provincia eſt demandata. Domino Dat. idem munus antea obeunti, atque a febri noſtra paullo ante vix emerſo ſuffectus fuerat. Sæviente ibidem morbo capitis dolore fuit pertentatus cum horripilationibus, & ſymptomatibus catarrhalibus, ſicque tranſegit duos, vel tres dies, uſus eſt frictionibus, potu thè, & diæta, ſed fruſtra; coactus decumbere me vocat, ſanguis mittitur coccineus, caput turbatum, deſipiebat noctu, pulſus parvi, adſtricti, calor acer, erumpunt maculæ inſtar pulicum morſus in brachiis, cruribus, dein pectore, auditus gravis, tuſſis cum anxietate, abdomen duriuſculum cum diarrhæa, purgatur ſemel, iterumque rheo cum cremore tartari, acida ſumit vegetabilia, & mineralia, tum camphorata, & alexiteria, in vitæ diſcrimen venit, lingua nigra, ſed humida, manus tremunt, tendines ſubſultant, dormienti os, & facies diſtorquentur, & trahuntur; 15 dies febris ab aliquot diebus

minor, mens noctu adhuc confuſa, nec ſui compos, alvi dejectiones involuntariæ, maculæ evaneſcunt, ſynapiſmi pedibus impoſiti, tinctura ſerpentariæ virginianæ, & chinæ chinæ cum camphora, convaluit.

Sacerdos temperamento præditus ſanguineo-bilioſo, quadragenario major jam ab aliquot annis vertigini obnoxius, & manuum tremori, quare a miſſæ celebratione abſtinebat, venator ſtrenuus, biduo horripilationes cum laſſitudinibus pertulit extra lectum, quo denique tenetur, acriter dolens de capite, quod levabatur appoſitis deſuper actu frigidis, item quod ſe poſſet difficulter corpore vertere, febris mediocris, pulſus ad duritiem vergentes, ſanguis miſſus pleuriticus, ſæpe horrebat cum febris, &c. cephalalgiæ exacerbationibus, rubebat facie, ad naſi radicem eryſipelatoſa ſe ſe exeruerat macula, quæ eryſipelas faciei minari, & præſagire videbatur, ſed arctis coercita finibus brevi e conſpectu ſe ſubripuit, noctes inſomnes, clyſteres ano, fomenta pedibus, emulſa papaverina intus, acida citri, aceti, & alia hujuſcemodi ſuadentur, quæ poſtmodum faſti-

diebat

diebat omnia, & frigidam tantum admittebat, interea capitis dolor quievit, aliquot noctes dormiendo tranſegit, & ſe ſanitati reſtitutum ajebat. Ex ſuperadditis tendinum ſubſultibus, ſurditate præſertim, pulſu parvo, mente turbata, memoria imbecilla de febri epidemica in ſuſpicionem veni. 9 poſtquam noctes aliquot, ut ipſe, & adſtantes fatebantur, quietas exegiſſet, fit ſomnolentus per diem cum petecularum effloreſcentia, quod ſuſpicionem confirmavit morbum ad epidemicum migraſſe, præſcribo mixturam alexipharmacam camphoratam; 10 manifeſta convulſionis ſigna, oris torſiones cum riſu ſardonico, vox mutata cum mentis alienatione, veſpere febris exacerbatio, pulſus elatior, aphonus, immotus, comatoſus, nec conclamando, nec concutiendo excitatur, rubet, & calet facie, aliquot ante diebus cum muco è naribus ſanguinis ſtrias muccinio emunxerat, interea mihi retulerunt appoſite locutum fuiſſe, cucurbitulas dorſo, hirudines temporibus, ſynapiſmos pedibus affigendos curo, maculæ cutaneæ fere evanuerunt; 11 ſopor apoplecticus, ſudore diffluit, ſtridet den-

tibus, pulſus acceleratur, os, & labia torquet, moritur.

Recluditur cranium, dura meninx alicubi livida, piæ matris vaſa, & plexus choroidei atro ſanguine præter morem turgida, ad cerebri lobum poſteriorem juxta falcem meſſoriam gelatina concreverat ad longitudinem, & latitudinem pollicis unius cum dimidio. Ibidem quoque prope ſinum longitudinalem ſuperiorem hydatides aderant, reliqua raptim obſervata, in eadem cerebri plaga cavitatem cerebri morboſam, a cavitatibus ventriculorum longe diverſam mihi ſum videre viſus, cum parietibus colore, & conſiſtentia mutatis, quæ amygdalæ nucleum reciperet, ſed affirmare non auſim, rudis namque diſſector omnia promiſcue dilaniabat.

Mulierem mihi vicinam optimo temperamento, & ſpecioſo corporis habitu in curationem excipio 11 morbi die; hactenus enim ab altero tunc abſente curata fuerat. Febris continua cum ſopore, quater ſanguis e vena eductus fuerat, item purgata, adeſt ſopor comatoſus, lethargicus, vix eſt penes ſe, auditus

gra-

gravitate laboraſſe aſſeverant familiares in morbi decurſu, dormit oculis interdum ſemiclauſis, deſidet in lecto abſque ſenſu, præſcribo camphorata, veſicantia nuchæ, pedibus ſynapiſmos jam appoſuerant, nunc affigimus hirudines temporibus, ſtertebat, mortua eſt.

Margarita Liprandi temperamenti ſanguinei, ætatis 35 annorum, corporis obæſi, poſtquam mulieribus in xenodochio epidemica febre laborantibus operam locaſſet, ipſa quoque jam non integra erat valetudine, ſicque aliquot diebus actis cum horripilationibus decubuit febri percita potius vehementi, gravi ſimul cephalalgia. Non ſemel ſanguis miſſus cum doloris capitis levamine, abiit in ſoporem, fit ſurda cum alvo liquida, bis, vel ter rheum ſumpſit cum cremore tartari interjectis diebus, diarrhæa nihilominus modum excedebat, ideo ſalis volatilis gr. xv exceptis electuario diaſcordio exhibentur tribus vicibus interpolatis. Alvus fuit compreſſa, tum ſoluta iterum, & etiam nunc perſeverat die morbi 10, febris minor, lingua, & dentes ſorde ex flavo obſcura teguntur, labia ſenſim ſquammis exuuntur, remedia præter

memo-

memorata potus aquæ frigidæ, inſuſis prius aceto, vel ſucco limonum, nunc inſtillato ſpiritu vitrioli, pulvis camphoratus cum ſerpentaria virginiana, febris inquam miteſcit cum pulſu parvo, molli, debili, ſomnolentia cum ſurditate pergit nunc aucta, nunc minuta, diarrhæa aquea, iterum propinatur rheum cum cremore tartari; 14 mens ſanior, cætera melius, mixſtura ex china china, ſerpentaria virginiana, camphora, mens ſana redditur corpori ſano.

Caſtellina 35 annos nata, poſtquam pluribus domeſticis morbo adflictis operam præſtitiſſet, lapſa quoque in eumdem eſt. Prægreſſis aliquot perfrigerationibus, & ſenſu levioris ægritudinis aliquot dies febri corripitur cum pulſu vivido, & lumborum dolore, ſanguis mittitur gelatina tectus, repetitur ſanguinis miſſio, coccineus apparet; 4 alvus ſoluta, nox inquieta, datur rheum cum cremore tartari, potiones ex aqua frigida, cui acetum ſit adjectum, vel limoniorum ſuccus; 5 auditus gravitas acceſſit, facies rubra & colorata, camphora nitro juncta præbetur; 7 alvus compreſſa, ſudor manat

a fa-

a facie rubra, febris mitior mane veſpere intenditur; 8 idem, ſymptomata leniora, emulſio camphorata; 9 ira febrim accendit; 10 ſurditas minuta; 11 horror cum multa ſiti, tinctura ex ſerpentaria virginiana, chin. chin. & cæt.; 14 febris ſublata aurium gravitate adhuc ſuperſtite, ſputa concocta extuſſit, conſaneſcit.

Molineris copa ſenex ſeptuagenaria major, cujus jam duos filios ex epidemico morbo curaveram domi, ipſa quoque in eumdem incidit, aliquot diebus domi morbum paſſa noſocomium adivit, pulſus deprehendo humiles, inæquales, quippe qui non æquis moverentur intervallis, ſomnolentam obſurdeſcere, & ſubdeliram mutire ita, ut morbi prægreſſi hiſtoriam ab ea eruere, & reſcire nequiverim, aliquot enim tantum incondita verba effutiebat, prolatiſque imperfectam periodum ſinebat, vel etiam ſemiprolatum verbum, adeo ſopore, & mentis turbatione premebatur. Morbo communi affectam animadverto, & conclamatam eſſe ratus, ſecutus Celſi præceptum eam, quæ ſervari non poſſet, non attingendam duxi, ne occiſæ ſpeciem ſubiret, viribus ſolius naturæ commiſſa periit die 8, vel 9 morbi.

Duo-

Duobus a morte diebus vigente bruma caput ſecui, piam inter meningem, & cerebri corticem lympha cruenta congelaverat, ventriculos cerebri frequentes ex glacie laminæ infarciebant. Centrum ovale, ut ajunt, ejuſdem alicubi prope ventriculos ad pollicis latitudinem molle, fracidum, coloris ex cinereo ad flavum vergentis, paſtaceum, quemadmodum cerebellum tenerioris conſiſtentiæ abſque ullo fœtore, partes reliquæ naturales gelu coactæ erant.

Aliud etiam ex hoc morbo defuncti caput aperui, & memini inter cætera obſervaſſe ſubſtantiæ cerebri pulpoſæ portionem magnitudine nucis avellanæ, colore, & conſiſtentia vitiatam, ita ut eſſet coloris *tané*, & mollior, non ſecus ac poma, vel pyra, cum intus marceſcere incipiunt. An non gangræna hujuſce viſceris?

Filius Garrelli ætatis annorum 14, cujus mater nuper a febri epidemica convaluerat, jam a tribus diebus ægrotat, frequentes per dorſum horripilationes, capitis dolor ad frontem, & oculorum orbitas, nauſea cum pravo

oris

oris ſapore, febris mediocris, pulſus contracti, ſanguis ſemel miſſus viſu optimæ notæ. 4 ſtomachi dolor, nauſea, oris fœditas. Ipecaquanha ingeſta bilioſos humores vomitu, & vermem reddidit cum ſtomachi, & capitis levamine. 5, 6 febris parva, pulſus humiles, & rari, facies colorata, oculi lucentes, vaniloquus, ſurdus, pellis leviter maculis pallide rubentibus variegata. Remedia pulvis alexiterius Svviettenii, ſcordii infuſum cum vino admixto. 7 pulſus minimi, inæquales, rari cum tendinum ſubſultibus, digitorum, & manuum motitationibus, nihil queritur, obmuteſcit, 8, 9 idem, mane febri, & pulſu minoribus, veſpere majoribus, ſynapiſmi pedibus impoſiti, 10 pulſus elatiores, de doloribus queritur in toto corporis habitu, interrogatis reſpondet, 11, 12 ſemper ſtipticus, reliqua valet.

Col. adoleſcenti 13 annorum, optima temperie prædito prægreſſas horripilationes febris ſecuta eſt parva cum aliquot vel levioribus ventris torminibus, & ſenſu inflationis, & turgeſcentiæ, purgatur, vermem poſtridie purgationis ſibi ab ano extraxit, variis inſuper

datis

datis anthelminticis 5, vel 6 lumbricos dejecit, quorum nonnulli rubebant, calor acer, ſed inconſtans, febris item nunc exaſperata, nunc remiſſior, mentis alienationes, viſus duplex, auditus gravis, peticularum inſtar lentium efſloreſcentia. Corporis univerſi laſſitudo cum doloribus, urina rubra, præter purgationem, & anthelmintica laudata, acida mineralia cum camphora adhibentur, & clyſteres, dormit; 12 pulſus ab aliquot diebus decreſcunt, & debilitantur, & invicem differunt, lentes delentur, ſomnus cum cutis madore obrepit. Acidis vinum ſubſtituitur, camphora ſubvenitur, & radice ſerpentariæ; 14 abſque febri, & maculis ſuperſtite melancholia, qua de vita deſperat, de minimis quibuſcumque ad ſalutem pertinentibus anxie ſollicitus, alvus adſtricta 7, vel 8 diebus, viſus obſcurus adhuc, duplex quandoque, lente convaluit hauſta tinctura ex china china, relicta memoriæ imbecillitate. Hinc nihil ei mandare valet, nec mandatum retinere, alopecia ſucceſſit, & fluxus auris.

Duobus ab hinc diebus frater natu major cum tuſſi, pulſu elatiori, facie rubra, febri

corri-

corripitur. Ratione virium habita, quibus valebat, & temperamenti, erat enim ſanguineo, bis ſanguis, qui cinnabarinus apparuit, mittitur, ſenſus contuſionis in corporis habitu, calor acer, alvi ſtipticitas, & veſicæ difficultas adeſt, lentium eruptio; 10 aliquot ab hinc ante diebus pulſus conciderant cum febri minuta, viribus deficientibus, voce remiſſa, & languida, alvo adſtricta; 11 vermem dejecit mortuum, ſemirubrum, alvus pluries ſoluta, lenticulares peticulæ delentur; 12 febris fere nulla, quædam mentis hebetudo, ægre a morbo recreatur remediis alexiteriis, & tonicis.

Hiſce diſcipulis convaleſcentibus pædagogus eodem morbo afficitur, horrore, febri remittente, capitis dolore, ſurditate, rubedine quaſi eryſipelatoſa, & tactu dolente in facie cum pulſu debili, parvo, ſubſultu tendinum, mentis ſtupore. Quater, vel quinquies ſanguis e naribus fluxit ad unciam unam, vel alteram, toties alvus item fluxit; 13, 14 ſudor; 18 ad ſanitatem venit iiſdem remediis ſupra laudatis.

Bonada

Bonada mulier quadragenaria febri laborabat continua cum ſudoribus miliares olentibus, cum tuſſi, & capitis dolore. Sanguis aliquoties detractus, miliares puſtulæ prodeunt, tandem pulſus infirmatur, & imminuitur, aures obſurdeſcunt cum ſenſuum hebetudine intermixtis peticulis. Solitis remediis reſtituitur ſaluti.

Matrona Corderi cum duabus filiabus aſſiduo præſto erat pauperi mulieri ex hac febre ægrotanti. Omnes eadem fuerunt affectæ, duæ perierunt una ſuperſtite.

Sacerdos N. N. ægrotantis confeſſionem excipiendo ſe morboſo halitu afflatum ſenſit, & paullo poſt morbo correptus obiit.

Alteri Sacerdoti eo pariter modo, & morbo affecto ſæcularis frater miniſtrabat, qui eo mortuo domum quarto ab hinc lapide procul diſſitam rediit, morbum ſecum tulit, quo deinceps in vitæ diſcrimen adductus fuit.

Ex ægrorum viſitationibus morbum ſibi comparavit Medicus Manaſſerius amicus integerrimus, ex eo duæ filiæ cum ancilla, nec quicquam profuit ad prophilaxim nicotianæ fumum e fiſtula ſæpe haurire. Sed patriæ bono, & amicis ſervatus eſt.

Non

Non ſic D. D. Medici Chiarella, Odella a Monteregali, Sicardi a Frabuſia, Picus a Centallo, qui hoc morbo vexatis medicinam faciendo eodem fuerunt e medio ſublati. Nunc, quod mœrens ſcribo, Medicus Gola a Margarita Piperagnum ſe conferens ad filiam ſic ægrotantem ex illa defuncta morbum cum morte retulit.

Hinc qui ex hac febri decumbentibus intererant, in ſalutis diſcrimen veniebant. Ita Parochi, Confeſſarii, Medici, noſocomiorum famuli, curatores, quorum plerique objerunt, periclitabantur.

Piſtoris alumnus Gorbellerius, qui ſæpe hoſpitalem ex hac febre infirmorum domum frequentabat, ſe morbo affectum ſentiens ex minus firma valetudine in patriam s. *Michele* ſe contulit, eoque illic ægrotante ſtatim totam familiam, parentes, fratrem cum binis ſororibus idem morbus invaſit.

Frabuſiæ lictor, ubi morbus cladem edebat, hoſpitio receptus fuit a D. Galleano Chirurgo Planifeti tribus, aut quatuor milliariis diſtantis, in ſtabulo cubabat, ut ibi moris eſt, quo

omnes domeſtici conveniebant cauſa hyemis. Herus poſthac cum tota familia in eodem morbo fuerunt. Patriſamilias utpote Chirurgo plures medebantur, & aliis alia volentibus, lites inter, & diſſidia exceſſit e vita. Tribus aut quatuor filiis pariter ægrotantibus vix ſuccurritur, & ſanitati redduntur omnes. Unus e fratribus, qui philoſophiæ ſtudio operam dabat Monteregali, nunciis, & rumore permotus ad ſuos advolat, aliquot poſt diebus rediit, unde diſceſſerat morbo tentatus. 8, vel 9 diebus migravit ad ſuperos. Filia ruricola cuidam Aymo maritata tribus milliariis longe, illic Planifeti patri ægro, & ſuis adfuerat 15 circiter diebus, domum ſuam redux febri eadem periit.

Nuper Villanovæ oppidum minata eſt hæc febris, ſed auſpicato parum duravit. Aggreſſa eſt domum Caſtellinam, ibi matrem familias, & filiam viro aptam in vitæ diſcrimen adduxit. Cognatum presbyterum, & maritum letho dedit. Qui famulatus fuerat homo robuſtus nomine Urſus vitam pariter ex hoc morbo cum morte commutavit. Conſobrina, quæ ex civi-

tate

tate Montisregalis illuc adiverat operam præſtitura, cum in patriam reverſa eſſet, obiit. Ancilla pariter morbo diu fuit conflictata, quem exitum ſortita fuerit, ignoro, illud ſcio ad incitas fuiſſe redactam; item Curatus, Chirurgus, vicini, qui morbo implicitos inviſerant, & cum ipſis verſati fuerant, hos omnes ſymptomatibus deſcriptis ſtipatos fuiſſe obſervavi, idque rigente hyeme; ſed brevi, qui Villanovæ inceſſerat morbus, ceſſavit ineunte anno 1785.

Homo ætatis 30 annorum a tribus, vel quatuor diebus tenui erat valetudine, & infirmis viribus cum angina, & hemicrania lateris ſiniſtri, oris pravo ſapore, lingua fæculenta, & ſordida, cardialgia cum diarrhæa, febri parva cum pulſu debili, & molli, ypecaquanham ſumit cum tartaro emetico, ſupra, & infra pravis excuſſis humoribus, firmam valetudinem recuperavit.

Alius, quem cephalalgia ab aliquot diebus affligebat cum nauſea, & ſtomachi dolore, pariter convaluit emetici laudati uſu, cui bolus ſucceſſit ex theriaca cum ſale volatili.

Mulier annos nata 58 poſt aliquot ægritudinis dies noſocomium adiit. Febris aderat parva, pulſus debiles, anguſti, parvæ diametri, dolet capite, & ſtomacho cum oris pravo ſapore, & lingua ſordida. Præſcribo emeticum, quod valide ſe geſſit, dein theriacam cum ſale volatili aliquoties repetendam, conſaneſcit.

Hiſce omnibus morbus popularis imminere videbatur, imo jam adfuiſſe, & remediis laudatis abruptus fuiſſe.

Morbi hiſtoriam ſummatim contraham, & paucis complectar.

Morbus a perfrigerationibus exorditur, eos maxime corripit, qui cum ægris morati ſunt, dolores vel totius capitis, vel partis tantummodo, frontis ſingillatim adoriuntur, vel etiam dorſi, & lumborum, oris pravus ſapor urget cum ſtomachi dolore, & nauſea, ventris tormina cum diarrhæa, tuſſis aliquando. Vires adhuc domo egredi, & negotiis utcumque vacare ſinunt. Aliquot poſt dies domi coguntur, & lecto ſe continere. Febris accenditur cum pulſibus interdum vehementioribus, nec non aliquam duritiem præſeferentibus, inter-

dum

dum debilibus, & mollibus. Facies non raro rubra, & colorata. Sanguis non raro pleuriticus tunc e vena miſſus dolores levat. 6, 7, aut pluribus exinde diebus pulſus concidit, imminuitur, & inæqualis ſit ſæpe ſubito. Calor acer, tendinum ſubſultus, artuumque tremores adduntur, interdum membrorum rigiditas, angina, urinæ difficultas, incontinentia, quodque ſemper adeſt, proptereaque ſignum morbi pathognomonicon conſtituit, eſt auditus gravitas, quæ morbi vel ſolitarii, vel cum aliis complicati ingenium, atque præſentiam certo certius prodit, atque declarat. Capitis turbatio accedit, vertigo, mentis alienatio, ſtupiditas, ſomnolentia, viſus debilis, obſcurus, duplex, ſenſuum hebetudo. Alvus in multis liquidis fertur fæcibus cum lumbricis, ventris borborygmis, & meteoriſmo, in aliis ſicca, & adſtricta, ſanguis e naribus. Cutis in aliis nitida, in non paucis maculis conſpergebatur dilute, vel intenſe rubris. Febris mane ſe remittebat, veſpere intendebatur. Qui 14 diem excedebant, fere in tuto erant, qui convaleſcebant per lyſim ad ſanitatem perducebantur, qui

 peribant

peribant comate opprimebantur, & pulſu paullatim deficiente, abdomine tympaniticò, cadavere livoribus, & gangræna alicubi fœdato, ſanguine ſæpe ore, & naribus exundante.

Morbus in convaleſcentibus relinquebat mentis, & ſenſuum ſtuporem, memoriæ imbecillitatem, vultus lineamenta mutata, cachexiam, œdematoſos tumores, capillorum defluvium, anorexiam.

In quopiam amauroſim adnotavi, in alio auris ichoroſum fluxum reliquum fuiſſe.

Hiſtoriarum ſatis, ſuperque, a pluribus, quæ ſuppetunt, enarrandis abſtineo, ſupervacaneum exiſtimans. Illud affirmo ſi non eleganti ſtylo, fideli ſaltem, & ingenuo fuiſſe exaratas.

Ex præmiſſis hiſtoriis, atque obſervationibus quiſque ad arbitrium, & libidinem ſuam deducat quæ proprio indulgeant genio; mihi arrident quæ ſequuntur, ſed membratim exponam, opus namque ſubceſivum eſt.

***

******

***



PARS SECUNDA.

MOrbus certe popularis a communi cauſſa gignitur. Hæc non in victus ratione poſita eſt ; corripuit enim longe diverſo victus genere utentes. Neque in annonæ inopia ; æque ſeviit namque in ejus caritate , & vilitate , in omnibus rebus egenos, æque ac affluentes.

Honeſto loco natos tamen pejus habuit , quam plebejos , & vilioris conditionis homines, illos forte rarius , hos frequentius tenuit.

 Non-

Nonnulli lunæ circuitibus morbum reſpondiſſe aſſeverarunt, & luna increſcente auctum, decreſcente minutum ægrorum numerum: quod Meadii ſententiam de lunæ imperio confirmaret.

In aere certe cauſſa quærenda eſt, ſed in nullis ejus qualitatibus manifeſtis, & evidentibus, frigore, calore, pondere, levitate, humido, vel ſicco, neque in ſubitis ejus viciſſitudinibus, namque & ſæviente bruma graſſatus eſt, & urente calore, & intermediis temporibus, pluviis, humidiſque, æque ac ſiccis, mercurio humili, vel ſublimi tam in barometro, quam in thermometro, variis, & oppoſitis flantibus ventis, vel ſilentibus. Regiones aliæ in eadem aeris conſtitutione quoad ſenſum, a morbo vacabant, dum noſtra affligebatur, & contra. Ergo ab occulta ejus diatheſi ſenſibus non deprehendenda pendet. Hinc a meteorarum huc nihil facientium ephemeridibus conſcribendis ſuperſedendum putavi.

Quanquam fatendum ſit, aeris diſpoſitionem nunc morbi propagationi faviſſe, nunc adverſatam fuiſſe. Morbus enim alio ab ægrotantibus translatus, alicubi brevi per univerſam re-

gionem

gionem diffundebatur, alicubi vero domus fines, quo fuerat advectus, vix, aut non tranſgrediebatur. Hæc rurſus diſpoſitio abdita, & incerta; illud certum, hyeme ægrotantes forte pauciores numero, ſed plures mortuos, ſeu ex pari ægrorum numero, plures occubuiſſe frigido cœlo, quam calido, & morbum æſtate frequentiorem, ſed minus funeſtum, quod probe advertendum.

Ex tota morbi hiſtoria colligere eſt, morbum ab ægris in ſanos traduci, ab uno decumbente ad plures communicari adſtantes, neque contactu ad id opus eſſe. Illuc forſitan, unde originem duxit, ſciſcitando retrogredi, & percunctando perveniri poſſet, ſed ingens labor, & incredibilis patientia.

Illos, qui cum ægris verſantur, ſenſim inficit morbus; ergo aliquid noxium, & deleterium ab ægri corpore expirat, per aera volitat, ſanorum adſtantium corpora ingreditur, nulli ſenſui ſubjicitur, & morbum infert; in quam tenui ergo, & volatili ſubſtantia conſiſtat oportet?

Hoc miaſma, quod morbum parit, definiri nullo modo poteſt, cum ſub nullis ſenſibus cadat, niſi ab effectibus, quos in corpore humano producit, quoſque morbi hiſtoria concludit.

Sanos homines invadens, eorum liquida, & ſolida inficit, atque in ſuam ſubſtantiam convertit, proprietate ſe ſe multiplicandi pollet, ſecus in totidem infinite parvas moleculas diviſum, lædendi vim amitteret.

Sicuti in aere diſpoſitio requiritur ad morbi propagationem, ut innui, ſic in hominibus quadam diſpoſitione opus eſt, ut excipiatur. Inter eos, qui ægris aſſident, non ſemper illos, qui diutius, vel propius morantur, afficit. Hæc aptitudo hominibus inæqualis, infantibus, & pueris vix ulla; illis namque morbum pepercisse adnotavi. In morbum ſemel paſſis nulla, deleta enim a morbo ipſo videtur. Siquidem in eum, qui ſemel evaſiſſet, non amplius impoſterum recidiſſe vidi. Quod aliis epidemicis morbis commune, variolis, morbillis, & cæt.; imo memini, cum 45, & amplius abhinc annis epidemica lues bubulo

generi

generi infeſta Italiam populata eſſet tam magno agrorum damno, boves eos, qui in luem delapſi ab illa effugiſſent, plurimi ſtetiſſe, a morbo namque deinceps tuti cenſebantur, uti erant revera.

In corpus admiſſum, & circulantibus miſtum humoribus hoc extraneum naturæ adverſum, & inimicum, ſuo ſtimulo febrim excitat, ſeu natura in illud inſurgit febris inſtrumento, quæ initio plerumque major cum pulſu vim non raro, & duritiem præſeferente, in ſtatu defervescit imminuto pulſu, miaſmate vires adepto, majori humorum copia in ſuam naturam verſa.

A perfrigerationibus inchoare commune febrilibus morbis fere omnibus eſt, quos materiei, ſive cauſæ morbificæ, & naturæ curantis pugnam, & conflictum eſſe concipio, naturam a materie morbifica adortam, atque invaſam prius recedere, & motum caloris cauſam retardare, mox in illam, collectis viribus reſilire, auctiſque motibus inſurgere.

Febris noſtra ab horripilationibus ſemel exorſa non æquali ſemper impetu ferebatur, ſed

illum

illum matutino ſæpe tempore remittebat, intendebatque plerumque veſperaſcente cœlo, ſicque inæqualiter movebatur. Sed ecqui febriles morbi æquali ſemper gradu pergunt? Rari admodum, ne ipſis quidem inflammatoriis exceptis, duobus hoſtibus, ut innui, morbificæ cauſſæ, & naturæ ſi quid virium utri afferatur, aut dematur, inæqualem fieri pugnam, & congreſſum neceſſe eſt. A pluribus id cauſis intrinſecus, vel extrinſecus oriri poteſt, ab aere mane frigidiore, vel alia quapiam ſolis in eum actione, a partium vitalium irritabilitate non ſemper ſibi æquali, aliiſque, quas ſublimioribus ingeniis diſcutiendas mitto. Hoc tantum ſcire licet, has exacerbationum, & remiſſionum vices in febribus continuis ſæpe erroris occaſionem præbere, atque cortici peruviano plus æquo addictos, illo inepte adhibito ægros lædere.

Obſervavi, quod jamdiu notaverat Sydhenam, vel hac vigente conſtitutione verum: alios nempe morbos intercurrentes, vel ſporadicos hujus epidemiæ fuiſſe participes, ad caput peculiariter impetum faciebant, & ad nervos tendebant.

Morbis

Morbis acutis inflammatoriis maxime hyemali, vel verno tempore ſe comitem præbebat hæc noſtra febris, atque in deliria, & comata ſæpe lethalia præcipites dabat, communia utrique morbo remedia poſcebat utrorumque ratione habita.

Cum intermittentibus complicatur interdum. Ex febricula apyrexiæ tempore, & propriis ſignis, ſeu mentis hebetudine, & ſurditate diſtinguebatur. Auxiliis commixtis ſubveniendum erat eo vel magis, quod pleraque ſint utrique accommodata.

Cum miliari miſtam ſuperius vidimus. Quod vero morbi genus, & naturam prodebat, erat mentis hebetudo cum auditus gravitate, quæ in morborum decurſu ſuperveniens, hujus noſtræ febris ſignum præbebat, quo uno fiſus a reliquis omnibus tuto ſecernebam, & internoſcere valebam.

Illa virium imbecillitas, qua febres malignas a reliquis diſtingui ajunt, hic tanta non erat ſaltem initio, ut qui hoc ſolo ſigno uteretur, morbum prænoſcere poſſet. Ægroti namque jam morbo pertentati aliquot adhuc diebus e lecto ſurgebant, ſua utcumque negotia gerebant

bant. Vires ergo morbus initio non adeo proſternebat.

Alvi profluvio multi quidem in morbi ſtatu laborarunt, ſed nonnulli etiam ſtipticitate, neque ſemper bilioſis fluebat alvus; attamen æque conſanuerunt & illi, quos adſtricta, & illi, quos ſoluta alvus exercuit, & quibus bilioſis, & quibus aliis fluxit humoribus. Non ergo cauſſa ponenda in bilioſo affectu.

Inferior venter in multis male habitus diarrhæa, borborygmis, meteoriſmo, tympanite, nauſea & cæt.; at in aliis non paucis omnino etiam liber. Ergo morbi ſedes non ibi figenda.

Vermes quoque lumbricos frequentes fuiſſe, anomala aliquando peperiſſe ſymptomata pro certo habeo; verum in noſtro morbo eorum excretionem ſymptomaticam tantum reputarem; vel enim, qui innoxie præextiterant cum humoribus profluentibus, abripiuntur violento inteſtinorum motu detruſi, vel humore morboſo ipſis infenſo necantur, & expelluntur ac ſi vim anthelminticam poſſideret. At illis expulſis morbus nihilominus pergit, ergo ejus inſontes.

Ventriculi

Ventriculi, inteſtinorumque indigenæ abnormibus loci, quem habent, motibus, & pravis humoribus irritati, moræ impatientes fugam capeſſunt reptatu per viſcera exquiſitiſſimi ſenſus, & morſu moleſti.

Petechias cum reliquis maculis etiam pro morbi accidentali ſymptomate pono; adeſſe namque, & abeſſe poſſunt manente illo. Earum expulſionem neque promovendam cenſerem, neque cohibendam, ſed parvi faciendam quoad curationem; quamvis earum expulſio cum febris noſtræ curatione coincidit.

De petechiis animadvertendum, quod aliquando forma ſint maculis a pulicum morſu illatis, velut ovum ovo, ſimiles, ſed facile diſcernuntur, ſi pulicum morſus ſint recentes, tunc enim puncto diverſi coloris ad obſcuriorem vergentis, ſeu cicatricula in centro inſigniuntur, ubi inſectum morſum inflixit, atque ſi digito comprimas, evaneſcunt rediture illo ſublato. At ſi vetuſtiores fuerint morſus facile cum petechiis confunduntur; deſtituuntur namque illa cicatricula, quæ deletur, & preſſioni

reſi-

reſiſtunt, cruore veroſimiliter vel in coagulum, vel in cæcas cellulas abeunte, ſicque turpiter decepiſſe vidi: tunc ſola ſymptomatum ratio habenda.

Neque in putredine, vel humorum alkaleſcentia hujus febris cauſſam collocarem, cujus putredinis notionem late nimis recentiores in morbis extendere videntur, atque ita, ut hanc omnibus ferme morbis prætexentes purgantibus, atque antiſepticis ubique occaſionem ſibi datam exiſtiment, etiam ubi nulla eſt. Phyſicas, mechanicaſque leges a corporibus ſimplicibus, inanimatis, ad animata, vitalia, organica transferre in errores facile ducit, diſſimilibus namque legibus hæc diverſa corpora reguntur.

Putredinis theoria in medicinam invecta falſo innititur principio, eſtque una ex illis legibus a corporibus inanimatis ad animata falſo traductis, & perperam admotis. Quamdiu vivimus a nobis natura putredinem arcet; ſecus væh animalibus carnivoris, quæque cibis tantummodo veſcuntur alkaleſcentibus.

Non in putredine noſtræ febris natura conſiſtit. Præter enim quamquod etiam hyeme

fuerit

ſuerit, tempeſtate ſcilicet putredini minimum ſavente, ſanguinem exploravi tum initio morbi detractum, tum in ejus ſtatu experimenti cauſſa parva quantitate, quæ non noceret, miſſum, qui ſingulis diebus, ad menſem aſſervatus, tempeſtas ſiquidem erat hyemalis, thermométro domi gradum a 2 ad 5 ſupra gelu notante, olfactus nullum unquam vel minimum fœtorem reddidit, nec ejus pars parva ſæpe e toto ſejuncta affuſione acidorum tum mineralium, aqua forti ex. gr. diluta, tum vegetabilium, aceto ſtillato more illuſt. Gaber tentata ullum efferveſcentiæ motum exhibuit, donec elapſo menſe in liquamen atrum inſtar ſapæ uvarum, vel rob ſambuci converſum, nondum tamen graveolentem, neque cum prædictis acidis efferveſcentem projeci.

Non diſſimulandum, quoſdam affirmaſſe, quod ægros, eorum ſupellectilem, domicilium ipſum male oluiſſe perceperint. Hoc in dubium vocarem, ſed demus ultro. Quid inde? an omnis fœtor ſignum, & argumentum putredinis certum? tot quidem gummi, vegetabilia, producta chemica peſſime olent, & pu-

tert, at ſunt putredinis immunia, imo antiſeptica, quæ a putredine ſervant corpora in illam prona. Vid. illuſt. Pringlium, & Marchbrid.

Circa 7 morbi diem pulſus debilitari, imminui, inæquales fieri conſueverunt. Item caput turbari, ſenſus obtundi, auditus præcipue gravitatem accedere, motus perverti. Hæc ſymptomata ſupervenientia orta exiſtimo a materie morbifica alibi prius errante, vel hærente, mox in ſyſtema nervoſum illapſa, & decumbente.

Morbificam materiem peculiari attractionis vi, vel affinitatis, ut cum chemicis loquar, ad cerebrum, cerebellumque cum ſuis appendicibus, vel nervis ferri tota morbi hiſtoria docet, atque læſiones teſtantur in hiſce viſceribus detectæ in morbo defunctorum cadaveribus.

Quemadmodum ex animalibus, quæ communi aeris uſura fruuntur, homines tantum hic morbus prehendit, reliquis intactis, & illæſis, ſic inter ejus viſcera, & humores ſyſtema nervoſum petit præ reliquis.

Has proprietates in chimia animadverterunt ejus ſtudioſi, proindeque affinitatum tabulas

condidit

condidit Geofrojus, quædam nimirum corpora peculiari invicem vi coire præ cæteris. In animalibus obſervarunt phyſiologi, quædam ad ſingularia viſcera, vel humores ferri, reliquis præteritis; ſic rubiam tinctorum oſſa, cantharides vaſa urinaria, & ſpermatica, hydrargyrum ſalivales glandulas petere. In remediis medici adnotarunt ſpecificam vim in partes ſpeciales, & ſecretiones habentibus; ita cephalica, pectoralia, uterina, cathartica, diuretica. In morbis item, venereum virus genitalia, hydrophobum fauces, viperinum biliaria vaſa, tum, quod magis ad rem facit, in conſtitutionibus epidemicis aliquando humorem morboſum gulam, aliquando inteſtina, ſæpe cutem, vel pleuram infeſtare, & ſic porro, ita anginas, dyſenterias, variolas, morbillos, pleuritides epidemicas conſtituere, prout in has, vel illas partes incumbit. Sic ibidem deleterius humor in cerebrum, cerebellum, nervoſque impetum facit, affinitatis, vel attractionis vi eo ductus.

Cerebro, & ſyſtemate nervoſo occupatis facile deducuntur ſymptomata morbum comitan-

tia, convulſivi motus, tendinum, & muſculorum ſubſultus, membrorum tremores, idearum confuſio, alienatio, delirium, ſopor, ſenſuum hebetudo, & maxime auditus gravitas.

Cerebri, nervorumque ſtructura anatomicorum induſtriam præ ſubtilitate effugit hactenus. Magiſterium itidem, quo mentis actiones peraguntur, philoſophorum eluſit ſagacitatem, animi cum corpore nexus, actiones, & reactiones mutuæ, affectus, quomodo ideæ a ſenſibus tranſmittantur, & in mente percipiantur latet philoſophos, & ſemper fortaſſe latebit. Illud tamen omnes inter philoſophos, & anatomicos conſtat, cerebrum cum appendicibus, & mentis, & motuum voluntariorum, & ſenſuum præcipuam ſedem eſſe, & organon, quo vitiato & mentis, & ſenſuum, & motuum voluntariorum actiones pervertantur. Cum itaque & morbi hiſtoria animi functiones, ſenſus, & voluntarios motus aberrare, & cerebri læſiones, & vitia in cadaveribus anatomes doceat, concludendum reſtat morbi ſedem in cerebro fuiſſe.

Quæ de cerebro dixi, cerebello quoque

competunt

competunt, cujus ſabrica, & actionum œconomia fruſtra philoſophorum torſit ingenia. At cordis illud, & arteriarum motibus vitalibus, naturalibus, & organicis præeſſe philologi affirmant, eoque læſo motus quoque ab ejus integritate pendentes lædi, & labefactari. Ejus vitia epidemico morbo defunctorum cadavera oſtendunt, motuum vitalium, naturalium, organicorum vitia morbi hiſtoria arguit. Ergo hæc ab illis naſcuntur.

Vitales partium motus perturbantur, & languent ex vitio nervorum, ut probavimus. Humores tarde moventur, & ad ſtaſim tendunt, quietem, & gangrænam. Quid ergo mirum ſi obices extrinſecus admoti, vaſorum, & liquidorum motum cito citius ſupprimant, atque extinguant? Ita preſſiones ex decubitu, & corporis gravitate, ita induſiorum aſperiores oræ, durioreſque limbi, rudiores linteorum rugæ, fimbriæque appreſſæ, illum ſuffocando ſugillationes, vibices, gangrænas intulerunt.

Ipſa quoque veſicantia maxime cantharidina non nunquam gangrænam produxerunt, acri nempe immiſſo, excitatoque inflammationis motu, ſed ſtatim defectu virium abolito.

Aſſumo, quod Hallerus, & Gorterus demonſtrarunt, partes ſpeciali, & vitali motu gaudere, ita ut perverti, augeri minui, deficere poſſit in aliquot ramis, quin truncus, vel alii rami reſpondeant, haſque partem motuum mutationes ſubire poſſe, quin totum commoveatur, quod inflammationes particulares probant, ſæpe toto quieſcente, & revulſionis doctrina. Hoc nervorum opus, & officium eſt, qui ad partes diſtributi motum in illis ciere, ſufflaminare, ſiſtere queunt, cavitates, & vaſa coarctare, expandere, eorum lumina majora, minoraque efficere, ſicque humores alienos agere, impellere in diverſi generis vaſa, atque errore loci morboſis coloribus partes imbuere, vel quietem inducere, ingreſſum liquorum, & egreſſum impedire, ſtaſim, & gangrænam inferre.

Hinc cutis maculæ, lentigines, petechiæ; hinc livores, ſugillationes, ecchymoſes integumentorum, & viſcerum; hinc puncta ſanguinea per cerebri medullam erumpentia, ſanguinis ſtillæ e naribus ægrorum, profluvia e cadaveribus.

Hinc

Hinc faciei rubor, cum parvo, & debili pulſu, qui nervorum ope quoque contingit. Sic verecunda puella a probro, vel procaci laſcivientis juvenis dicto genarum rubore ſuffunditur, qui pudor adeo ornat ætatem; hinc oculorum ſuffuſiones.

Si quis cutis maculas eidem humori maligno, & deleterio cutem obſidenti tribuere mallit, qui ſicuti tranſpirabile Sanctorianum, quod exhalans adſtantes inficit, ita cutaneos etiam humores imbuat, cutanea vaſa afficiat, atque alienos, extraneos humores in rete Malpighianum, cryptas cutaneas, vel aliorſum impellat, & elutriet, ſicque enarrata gignat phænomena, libenti aſſentior animo.

Hiſce immo particulis acribus, halituoſis e tacto in tangentem emiſſis calorem acrem, de quo in morbi hiſtoriis, a tangente perceptum adſcribo.

Calorem acrem illum dico, qui tactu non ſtatim percipitur, ſed manu diutius appoſita augeri ſentitur, quique amotæ manui inhæret diutius, quam caloris natura ad æqualitatem ſeſe expandendi poſtularet, cum quadam inſu-

per moleſtia, & vellicatu a caloris ſimplicis idea diſtincto. Is itaque non thermometro, ſed ſenſu metitur, arbitror oriri non tantum a generali lege, qua ignis diffunditur, ſed a particulis heterogeneis calorificis ab ægrotantis cute in tangentem erumpentibus, quibus papillas nerveas vellicantibus, partium attritus in eo, qui tangit, caloris cauſſa exſuſcitatur, ſicque attritum ab acri excitum indicat.

Diarrhæa morbi ſtatui ſuperveniens ab irregulari nervorum motu inteſtinis proſpicientium, atque viſceribus ſua fabrica ſecretos liquores in ea exonerantibus oritur.

Borborygmi pariter, ventris meteoriſmus, tympanites ab eodem nervorum perverſo motu naſcitur, alicubi nempe laxato, alicubi ſpaſmo conſtricto, vel agitato inteſtinali tubo, qui intercluſis, vel oberrantibus flatibus facile diſtenditur. Id experimur in hyſtericis mulieribus, vel hypocondriacis viris, quibus ſanis, ſi inopinatum nuncium afferatur, vel improviſum animi pathema obrepat, abdomen flatibus obſtrepit, in vomitus porraceæ bilis, vel etiam alvi fluxum præcipites ruunt, notante Sydhenam. Si

Si quos magis delectet alvi fluxum, & flatulentiam a miaſmate epidemico entericos humores inficiente, atque inteſtina laceſſente deducere, ſicque flatuum copiam gignente, & uberiorem liquorum huc confluentium ſecretionem, & excretionem promovente, non repugnabo.

Morbi eſſentia conſiſtere videtur in maligno nervis maxime, eorumque origini infenſo miaſmate, quod ſenſuum internorum, externorumque, motuum maxime vitalium perturbationem affectet, dein abolitionem, & extinctionem importet. Sopor, & aſphixia mortem antevertunt.

Capitis dolor, præcipue ad frontem ſæpe initio morbi vexans, an non a veneno per nares ad ſinus frontales, & antra hygmori attracto, vel ex ventris conſenſu?

Auditus gravitatem aſſiduam morbi ſaltem confirmati, atque provecti comitem cum mentis hebetudine conſociatam nervi acouſtici, vel auditorii obtuſo, minutoque ſenſui in ejus origine a materie morbifica eo illapſa ſtatim adjudicare obvium magis, & proclivius eſt. Ex ſolidorum tamen, & fluidorum aberratio-

nibus, quas ſupra in morbo poſui, alias inſuper ſecundarias cauſſas a prima illa caput obſidente genitas adſciſcere cum in aliis, quæ morbum comitantur ſymptomatibus explicandis, tum in hac vel maxime auditus gravitate, ubi inconſtans eſt, vel alterutrius auris, vel cum tinnitu, & fremitu conjuncta, non incongruum erit.

Si muſculi tympani oſſiculis movendis dicati, ſui obliti muneris tympani membranam neque tendant, neque oſſiculorum catenulam appoſite ab ea ad illam foraminis ovalis moderentur, & dirigant, obſcurus erit ſonitus, vel etiam nullus ille, quem cæteri ſani homines clare audiunt, cum remiſſis tympani, vel etiam feneſtræ ovalis membranis abſque oſſiculorum catenulæ interventu, ex ſola vel ambarum feneſtrarum agitatione per ſolius aeris tympanici motum confuſus, atque debilis ſonitus oriatur.

Contra ſi iidem muſculi catenulam inepte protendant, membranas memoratas concutiant, aeremque internum convulſivis motibus agitent, ſonoras intus excitabunt ſenſationes, etiam ubi nullus extrinſecus ſonitus datur. Item

Item ſi fibræ laminæ ſpiralis in cochlea expanſæ laxentur nimis, vel tendantur, in tonum conſident graviorem, vel ad acutiorem aſcendent, ſicque ad externorum ſonorùm armoniam non amplius convenienter vibratæ conſonabunt.

Hoc perinde de viſus defectu, & vitiis paſſim in hiſtoria deſcriptis, & diſperſis dicendum. Præter cauſſam in cerebro, & aliæ in organo ineſſe queunt.

Quemadmodum vaſa per faciem prætermodum in morbo coloratam humores alienos excipiunt, uti etiam illa per conjunctivam, quæ alicubi ecchymoſi fuit notata, ſi quæ oculi membranis, ejuſque humorum capſulis intexta ſunt, alienis quoque, craſſioribus, extraneiſque graventur liquoribus, & ſenſus hebeſcet, & pelluciditas contaminabitur tum diaphanis humoribus contentis, tum capſulis eos continentibus turbatis, ita ut & rarior, difficiliorque lucis, & radiorum trajectio fiet, & per media denſiora.

Si muſculi oculi bulbo adnexi, eumque ambientes contrahantur æqualiter corneam pro-

trudent

trudent lucidam, acuent, protuberantiorem, & convexiorem efficient, ſimulque ab oculi fundo, & retina amovebunt; ſi laxentur planiorem reddent ad fundum ſimul admotam.

Cryſtallina pariter lens, & ſuarum fibrarum, & ligamenti ciliaris conſtrictione, & remiſſione recedere, & accedere ad retinam, itemque ejus ſuperficies arcuari, vel complanari poterit, ſicque radiorum focus extra retinam, cis, vel ultra conjicietur.

Si iidem oculi muſculi, vel lentis inæqualiter tendantur, vel laxentur, oculos diſtorquebunt, lentem luxabunt, e ſede dimovebunt, ſicque oculorum axi non concurrente in objecti centro, non incidet objecti imago in utriuſque oculi polum opticum.

Pupilla plus æquo circularium fibrarum ſpaſmo coarctari, vel centralium ampliari poterit, vel laxitate contrarium contingere, ſicque juſto majorem, vel minorem radiorum numerum admittere, & ita deinceps. Hinc viſus obſcurus, duplex, caligantes oculi.

Qui anginæ, mutitatis, aphoniæ, urinæ ſuppreſſionis, vel incontinentiæ, & ſimilium

phæno-

phænomenorum rationem quærat, in ſpaſmodicis pariter, inconditis motibus, vel atoniæ partium illis functionibus inſervientium inveniet, eadem, quemadmodum de auditu, & viſu diximus, faucibus, linguæ, laryngi, pharyngi, chordis vocalibus, veſicæ urinariæ, ejuſque ſphincteri accommodando, quin illis evolvendis diutius immorer.

Neque contractionem, rigorem, ſpaſmos cum atonia, inertia, laxitate juxta ponere pugnat. Effectus ſunt ejuſdem cauſæ in nervos, eorumque principium diverſimode agentis. Non ſemel apoplecticos corruiſſe vidi cum membrorum aliorum ſimul reſolutione, aliorum diſtentione, & opportune ſuccurrit Celſi textus id comprobans lib. v. cap. xxvi. *Medulla, quæ in ſpina eſt, diſcuſſa, nervi reſolvuntur, aut diſtenduntur.*

Amauroſis forte ex abrupta continuatione partium, ex quibus nervus opticus coaleſcit, fuit immedicabilis.

Fluxus auris forte ab humore in cranium effuſo, ex eo per foramina ſingularia in cavum tympani, dein per aperturam Rivinianam in

mea-

meatum auditorium, ſenſim exaruit aliquot poſt menſibus.

Phyſiognomia in morbo, vel poſt eum interdum mutata apparebat. Hæc eſt vultus, & oris ſpecies cuique propria in quadam partium ſymmetria poſita, qua ſublata, illa etiam perit, vel permutatur. Id in plerisque morbis contingit ex vaſorum turgeſcentia, vel inanitione, cruoris impetu, vel ſtaſi, adipe conſumpto, muſculorum faciei laxitate, vel contractione & cæt., quod etiam noſtro morbo commune. Illud inſuper huic peculiare, quod cum internas capitis partes afficiendo earum functiones ſimul mutet, earum mutationibus externus etiam oris, & faciei habitus reſpondeat. Manifeſtum ſiquidem eſt internam animi conditionem per externum faciei habitum pene dixerim translucere, ſive oris, & faciei formam, oculorum præcipue obtutum animi affectiones exprimere: ſic ira percitum hominem, terrore perculſum, gaudio, vel mœrore affectum, meditabundum, perſpicacem, ſtolidum, & ſic porro, ex adſpectus externa ſpecie phyſognomon facile dignoſcet. Quod pictores

probe

probe norunt, atque poetæ. Hinc cum noſtrum morbum mentis, ſenſuumque hebetudo, & vitia comitarentur, & ſæpe ſequerentur, vultus lineamenta mutata pariter conjuncta, & nonnunquam reliqua erant.

Morbus confirmatus nulla ſolvebatur ſenſibili critica evacuatione per alvum, urinam, ſudorem, anacatharſim, neque per metaſtaſim; Ergo reſtat, ut per inſenſilem tranſpirationem finiretur. Miaſma ſanis humoribus aſſimilatum, inque noſtram naturam tranſmutatum ſuſpicari abſurdum.

Hinc hyemali tempore magis funeſta hæc febris, quam æſtivo, quod tunc nimirum ob aerem frigidum difficilius per inſenſilem tranſpirationem exhalet, nunc eo calente facilius evaporet, atque diffletur volatile virus. Hæc iterum obſervatio eorum opinioni refragatur, qui cauſam ponunt in putrido humore; æſtivus namque calor morbum foveret, deteriorem faceret, hyemale frigus adverſaretur, & mitiorem redderet, ſed contrarium fit.

Cruor morbi initio, cum violentiores motus eſſent, detractus, cruſta non raro obductus

infla-

inflammatoria, & denſa videbatur, deinceps progrediente morbo, motibus pacatioribus, ſi mitteretur, illa diſparebat, & coccineus habebatur. Quiſquam inde elicere poſſet, ſanguinem citatiori motu compingi, tardiori vero ſolvi, præſertim ſi miaſma illud extraneum addas, quod ſua miſcela ſanguinem liquefacere potis ſit; hinc illo fuſo, & liquidiori facto morbi phænomena facilius poſſe intelligi, & explicari, ingreſſum in minora aliena vaſa, effluxum ex illis, ſtaſes, maculas, gangrænas, & cæt.

Si quis ad hanc humorum tenuitatem confugiat, non repugnabo. Quamvis, ut verum fatear, eam non obſervavi neque in ſanguine e venis miſſo initio morbi, neque in ejus ſtatu, neque in hæmorrhagiis, & ſpontaneis ſanguifluxibus, cum a diſſolutione fluere autumant, in quibus vaſe exceptus coibat, & in denſum coagulum concreſcebat.

Cerebri, cerebellique læſiones morboſas cadavera patefecerunt; exinde facile, & liquido fluunt phænomena in noſtro morbo obſervata. Cum itaque ad principium certo

certius

certius exiſtens effectus referri commode poſſunt, ex ſeverioribus logices præceptis non aliæ advocandæ cauſſæ videntur incertæ. Et cauſſa, quo ſimplicior aſſignatur, eo veritati magis conſentanea.

Cadaverum morbo defunctorum ſectiones numero plures Ariſtarchus forte quiſpiam poſtulabit; at labum in illis repertarum ſimilitudinem, atque cum morbi phænomenis conſenſionem ſatis eſſe duxi ad morbi ſedem ſtatuendam.

Diximus in morbi progreſſu circa 7. morbi diem caput obſideri, cutem fœdari, ſenſus hebetari, inter ſymptomata ſoporem, peticulas, auditus gravitatem eminere, quæ poſtrema inſeparabilis morbi comes certum ejus indicium faciebat. Hinc mirari ſubit incredibilem naturæ conſtantiam in morbis ipſis, ſimulque Hippocratis diligentiam incomparabilem in illis obſervandis. Ipſe tot ante ſæculis jam habet ſequentia de morbis popularibus lib. 2 ſect. 3. *Fiebant autem in febribus circa 7, & 8, & 9 diem ægritudines in cute culicum morſibus maxime ſimiles. . . ., & gravi auditu præditæ, & ſoporoſæ erant.*

 Na-

Naturam obſervavimus, ut in plerorumque morborum, ſic in iſtius, de quo agimus, curatione non raro ſibi ſuffeciſſe, atque nonnullos ægros omnibus deſtitutos remediis, derelictos, ſolique naturæ commiſſos conſanuiſſe. Cavendum itaque, ne ejus ſalutares motus interturbemus inopportuna remediorum farragine, & illud præceptum probe curandum; *Si non proſis, cave ne noceas*. Cavendum, ne remediis tribuatur, quod ſoli naturæ acceptum eſt referendum; quamvis ſalus remedia ſequatur, non ſemper illis debetur. Hoc de remediorum fama non parum detrahit.

Ægrotantes ſanis morbum communicant abſque contactu, & circumſtantes inficiunt. Eos igitur ambit, & circumfunditur atmoſphæra venenatis vaporibus ab eorum corpore emiſſis onuſta, qui non a ſanis tantum adſtantibus, ſed ab ipſiſmet ægrotantibus, & inſpiratione, & cutis vaſis inhalantibus vitioſo circulo reſumi, & reſorberi poſſunt. Quam utile ergo aerem circumfluum immutare, igne accenſo luſtrare, inquinatum per ignem trajicere, &

torrere

torrere, camino luculento expellere, externum, purumque admittere?

Haleſii ventilatorium hic utiliſſimum in publicis hoſpitalibus infirmorum domibus, utile etiam loci, in quo ægrotantes cubant, aerem vaporibus emendare, medicatum reddere aceto, & alexipharmacis ſuffumigiis, quæ & miaſma corrigendo, & ægri corpus ſubeundo proderunt.

Quoniam de aere ſermo incidit, notandum, quod ſupra innuimus, æſtate mitiorem fuiſſe morbum, miaſmate facilius per tranſpirationem inſenſibiliter amandato. Hinc ars naturæ pediſſequa calorem æſtivum æmulabitur tum in cubiculo ignem accendendo, tum in lecto ſtragulis ægrum cooperiendo; dixi calorem æſtivum, mediocrem volo, & temperatum.

Sani ut inficiantur miaſma per aera diſperſum recipiunt per os, vel per cutim. Per os receptum vel ſpiritu trahitur in pulmones, vel in ſtomachum deſcendit cum ſaliva deglutitum. Per cutis poros in circulantes humores immediate aſſumitur.

Proderit ergo ægrorum comitatum fugere, atque vitare, ſaltem cito ſe ſubducere, averſum ſpiritum trahere, aliquid mandere, & ore volutare, quod ſalivam proliciat, deglutitionem impediat. Ego caryophylis aromaticis uſus ſum.

Si vero id noxium in ventriculum deſcenderit, vel ibi gaſtricis humoribus, & ventriculi tunicis hærebit, atque ſui ſigna ſtomachi pondus, dolorem, nauſeam, vomendi conatum, oris fœditatem, pravumque ſaporem producet, vel inferius in inteſtina delapſum ventris tormina, borborygmos, turgeſcentiam & cæt. proferet. Utile erit vomitum, vel alvum ciere; idque morbi initio ad eum præcavendum, vel minuendum, fomitem, vel ejus partem auferendo.

Interdum etiam natura id molitur tuſſi a pulmonibus excutiendo, cum nempe per hanc viam ingreſſum eſt venenum, ut cum bronchiali muco irretitum extrudat, cujus conatus quoque juvandi ſunt bechicis.

Aliquando per diaphoreſim ope ſalium volatilium repelli patitur, forte cum per cutis

poros

poros ſubiit. Hinc non raro felicem exitum ſortitus eſt bolus ex theriaca cum ſale volatili, quo naſcenti morbo occurſum eſt.

In corpus recepto viru febris excitatur. Hæc ſi vehementior, cum motibus nimium adauctis nocere poſſit, temperanda. Id innoteſcit ex ſolitis exuberantis motus febrilis ſymptomatibus, pulſu præcipue velociori, & duro, capitis dolore. Quibus accedentibus plethoræ ſignis, & ægri viribus vena ſecabitur. Sanguis non raro pleuriticus apparuit, & levamen attulit. Hic quoque diluentia refrigerantia locum habent, acida præcipue vegetabilia, quæ moleſtam inſuper ſitim extinguunt. Sed parce mittendus ſanguis eſt, ſemel tantum, vel bis in datis circumſtantiis. Namque in morbi progreſſu vires ægros deficiunt, & pulſus cadunt, neque ſanguinis miſſio ſcopum aut cauſſam attingit, ſymptomata tantum reſpicit. Sanguis, qui in prima miſſione corio tegebatur, ſæpe in ſecunda illo caret, & floridus fit, quod contra accidit in morbis inflammatoriis.

Sanguinis ſtillæ e naribus periculum, & in difficili rem eſſe portendebant, humores ad

caput appellentes adeo miaſmate ſaturos indicabant, ut vaſa exederent, vel extimulando ad exitum ſanguinem urgerent; fallaces tamen tum mortis, tum ſalutis notæ erant. Et ſi nonnullis hæmorrhagia profuiſſe viſa eſt, non inde anſa querenda ad ſanguinem mittendum; hoc etenim ſolius ſapientis naturæ opus eſt, quod ars quidem impedire, nullo tamen pacto imitari poteſt; profuiſſe namque videtur non ſanguinis copiam, ſed illi confuſam e capite morbi materiem expellendo.

Non paucos dolui in hac epidemia copioſioribus ſanguinis miſſionibus vix non enectos ab imperitis pſeudochirurgis, qui lanceola præ manibus, tamquam pugione inſtructi, ſponte, atque injuſſi omnes ferme morbos ſine ullo diſcrimine adoriuntur. Atque hic arrepta occaſione mihi liceat, dolorem, quem diu pectore premo, tamdem effundere. Ut Chirurgos taceam, qui ubivis ſuos limites tranſgreſſi promiſcue Medicos agunt, medendi ars noſtris hiſce temporibus, & regionibus ad phlebotomos, tonſores, herbarios, empiricos, hujuſque furfuris balatrones, & impoſtores fere

devoluta

devoluta eſt, quibus in hominum vitam debacchari impune fas eſſe videtur, atque de corio, ut ajunt, ludere humano. Sic non ſuo, ſed profeſſorum crimine e propria excidens dignitate evileſcit, viri ingenui, atque eruditi nec honoribus allecti, nec præmiis, mentem, ingeniumque ab ejus ſtudio, moleſta præſertim, & laborioſa praxi avertunt; hinc ars omnium nobiliſſima parum culta jacet, & bonorum temporalium maximum valetudo, atque adeo vita negligitur. Sed hæc videant, quorum eſt; ego ad propoſitum revertor.

Ad curationem quod ſpectat morbi confirmati (quomodo ineuns morbus præcidi poſſit, dixi) potior indicatio eſſet, morbi cauſſam abolere. Optandum utique eſſet, ut medicina remedium ponderet, quod tamquam antidoton, quoniam cum venenis communia plurima phænomena virus noſtrum habet, miaſma enervaret, immutaret, deſtrueret, & innocuum redderet, quemadmodum alkalina, & hæpata ſulphuris venena pleraque mineralia, arſenicum, ſublimatum corroſivum, æruginem emendant, ſalia volatilia viperarum toxicum & cæt.; ſed hac non beamur felicitate.

In

In remediis generatim manca ars eſt, & in tanta illorum copia inops, neque novis illis idemtidem communicatis valde diteſcere videtur; ad experientiam enim, lapidem lydium ſi exigas, raro cum dictis facta componuntur, ſed ſæpe ſæpius pro junone nubem amplexamur. Utinam notis, activis, quæque ſpecifica audiunt, recte uteremur, quæ quippe magnarum virium, raro ſunt fruſtra, & ſi non juvant, lædunt fere ſemper. De horum abuſu, qui in hodiernam praxim irrepſit noſtris ſaltem in regionibus, dicam aliquando quod ſentio, de ſanguinis miſſione, quem nonnulli nec ægrotantium virium, nec naturæ motuum ulla ratione habita indiſcriminatim profundunt, ita ut in omni morbo ſanguinem mittere, quod mirabatur Celſus, non amplius novum ſit. De cortice peruviano, ad cujus uſum olim medentes ægre trahebantur, illum mille noxarum inſimulantes, nunc in contraria currunt, & remedium a ſummo numine ad ſalutem mortalibus datum vertunt in perniciem, omnibus fere morbis perperam aptando. De veſicantibus, de quibus inter practicos adeo diſputatum

eſt

eſt, nunc contrariis poſthabitis rationibus, nullum ferme ad ſepulcrum cadaver effertur illis non ſaucium, artuſque revinctum. Qui ad ſalutem veniunt, feruntur, & celebrantur, non recenſitis illis, qui occubuerunt. De iis diſſeram, aliiſque nonnullis, quod me triginta annorum praxis edocuit, ſimulque aliquot inuſitata aperiam remedia, & cautiones indicabo, ex quibus unum ad luem veneream, morbum, in quo toties de credulitate triumphos fallax agere ſolet impoſtura cum auri ſacra fame, quemque ſibi medici morbum vindicare, non chirurgis cedere deberent, remedium non novum illud quidem, ſed obſoletum, at efficax, facile, tutum, parvi pretii, reliquiſque hactenus prolatis, mea quidem ſententia, anteponendum, aliqua nutricibus propinanda ad earum lac medicatum efficiendum pro variis lactentium morbis, capitis præcipue inquinamentis, achoribus, cruſta lactea, & cæt., aliaque nonnulla; neque per ſingulas morborum claſſes illa exponens eadem ſemper chorda oberrabo, ſed nuda prodam, miſſis reliquis illuc nihil facientibus,

ſi

ſi longiorem vitam Deus largietur, & otium. Redeo nunc unde diverti.

Remedia ad noſtrum morbum ex illuſtriſſimis potiſſimum deprompſi, clariſſimiſque viris Barone SWiettenio, Æquite Pringlio, Huxamo, LudWigo, Tiſſoto, aliiſque artis noſtræ luminibus, atque ornamentis, ab illis ad febrim malignam, petechialem propoſita, quorum pleraque cum facultate ipſis aſſignata antiſepticam amplius vim conjunctam habent, ſi quibus id libitum erit.

Secunda indicatio miaſma ſuſceptum expellere.

Miaſma corpus ingreſſum antidotis immutare non datur, expellendum itaque eſſe indicatio ſuadet per conferentes vias. De morbo ineunte diximus, quomodo ſuccurrendum, & obviam eundum ſit, nunc de confirmato ſermo eſt. Per alias vias, niſi per inſenſilem halitum non ejici, ni fallor, probavimus; huic ſcopo camphoram inſervire practicorum obſervationes evincunt, cæteriſque præſtare remediis, & ratio perbelle conſentit. Miaſma noſtrum ſubtiliſſimæ, & tenuiſſimæ naturæ eſſe declaravimus,

mini-

minimos tranſpirationis poros, & reſpirationis ſpiracula meare, & remeare, atque adeo per inſenſilem halitum diſſipari, communicando etenim inſenſibiliter accipitur, & redditur, eamdemque, quam ingreſſum eſt, viam regredi poteſt.

Camphora itidem mirabile concretum, ſumme volatile, & in auras facile abeuns remedium dat morbo par, & accommodatum, quod ſuis halituoſis particulis ad minima vaſa traductis ſolida elaſtica ad expulſivas, & centrifugas oſcillationes ſollicitat, ſicque expirationem periphericam, qua ipſæ e corpore avolant, provocat, atque miaſmatis particulas per humorum maſſam diſſeminatas, & capillaribus, maxime nervoſis tubulis hærentes, totoque ſyſtemate nervoſo impactas, quas ſola natura ſæpe ad habitum cutaneum, & expirabile organum ducere, ac expellere nequit, tenerrimum hoc concretum, & ſumme penetrabile abreptas ad illud retorquet, & explodit. Eo magis, quod nuper ſpecificam vim in nervos camphoram obtinere expertus ſit Alexander.

Non-

Nonnullæ tamen cautelæ in camphoræ uſu ſunt ſervandæ. Morbi initio, cum motus deprehenduntur vehementiores, cum ſanguis detrahitur pleuriticus parciori doſi exhibenda eſt, vel cum nitroſis aſſocianda, quæ ipſam temperant.

Cum vero in altera periodo pulſus, & ſigna languidiorem circulationem indicant, largiori doſi porrigatur vel ſola, vel cum aliis alexipharmacis miſta, ita ut gran. unum, vel duo ſingulis horis devorentur.

In prima etiam morbi periodo in aceto ſoluta hauriri poteſt, ſeu acetum camphoratum, ſolvitur ſiquidem in aceto ope tantilli ſpirit. vini, cui ſaccharum adjicitur, vel ſyrupus ſaporis gratia.

Dixi in prima periodo, morbus namque commode in duas periodos dividi poteſt, quarum prima ab initio ad 7 circiter diem protrahitur, ad id temporis ſcilicet, quo pulſus concidit, & infirmatur. In prima pulſus, & motus vegetiores, in ſecunda languidiores. Periodi facile ſolo pulſu diſtinguuntur, cujus validoris, durioris, vel parum a naturali recedentis

cedentis in parvum, debilem, inæqualem ſæpe ſubita mutatio in admirationem rapit.

De camphora quoque notandum, cum ejus uſus tantopere neceſſarius ſit, ſæpe ægros occurrere, qui ejus guſtum adeo deteſtantur, ut pertinaciter renuant, neque ullis ſibi rationibus ſuaderi ſinant, ut aſſumere velint. Hic guſtui quoque ſtudendum. Etenim non modo cito, & tuto, ſed jucunde etiam curandum eſſe præcipit Hippocrates. Minus diſplicebit, ſi amygdalis, vel hujus generis oleoſis ſeminibus ſubigas, tum emulgeas cum aqua qualibet idonea v. g. ſcordii, theriacali & cæt., dein edulces pauco ſaccharo, vel ſyrupo.

Ad camphoram proxime viribus accedunt radices ſerpentariæ virginianæ, & zedoariæ, quæ & in ſubſtantia, & in extracto tum aqueo, tum ſpirituoſo camphoram aperte redolent, & ſapiunt, & ſicuti ejus odorem, & ſaporem reddunt, ita & vires referunt. Hinc facultate pollent alexipharmaca, & diaphoretica, proindeque noſtræ febri ſunt accommodatiſſimæ. Sed quia particulis ſcatent valde ſpirituoſis, &

calidioribus, earum uſus ad ſecundam pariter periodum eſt rejiciendus.

Quibus adde radicem controyervæ, quæ, ſi recens, acri donatur principio, & leviter irritante, quo in febribus malignis ad diaphoreſim movendam a ſcriptoribus medicis ſpecifice commendatur, atque ſummis effertur laudibus.

Tertia indicatio a cerebro, cerebello, nervisque materiæ morbificæ appulſum avertere.

Peculiari impetu, & affinitate ad ſyſtema nervoſum ferri, & tendere morbificam in noſtra epidemia materiem decrevimus; ergo contendat Medicus oportet, ut ab eo illam amoveat. Quod attrahentibus, rubefacientibus, ſynapiſmis, veſicantibus præſtabit, quæ locis cum capite conſentientibus applicita, cruribus, pedibuſque irritando nervos, & vaſa exſtimulando a capite impetum detorquent, & cutim exulcerando etiam capiti proxime appoſita vitioſum humorem evocant. Quod adeo Lanteri commendavit in hac epidemia. Ob earum acre in interiora irrepens cantharidum uſus in veſicantibus mihi ſuſpectus in hac febri.

Quarta

Quarta indicatio morbi effectibus obſiſtere, & reluctari.

Morbi effectus ſunt ſyſtematis nervoſi laxitas, quod ipſa anatomes patefecit, ſolidorum motus inconditi, quod morbi hiſtoria. Hinc pugnandum tonicis, nervinis, inter quæ ſpiritus vitrioli excellit inconditos motus in ordinem redigens, ſolidaque confirmans. Adde vermifugum, carminativum, adſtringentem, refrigerantem; vermibus etenim ægros, flatibus, diarrhæa, calore acri urgeri plerumque certum erat. Ad alvi fluxum præſertim, vel tumidum ex flatibus abdomen valentiſſimum erat præſidium, quibus ſcilicet mederi videbatur inordinatos inteſtinorum motus compeſcendo, & robur muniendo, ſi hæc quoque ſunt in meam ſententiam derivanda. Alii ſcopo bilem, putredinemque corrigendi, humores condenſandi adhibebant, (quiſque pro ea, quam de morbo mente fovebat, idea, & ea, in qua de illo erat, opinione), confundebant cum epidemia biliosa Lauſannenſi a clariſſimo Tiſſot deſcripta, ſed illius ſymptomata cum noſtris ſi compares, immane quantum differant, cum illa potius

congruit

congruit, quam experientiſſimus Ludvvig narrat.

Aliquos animadverto, cum acido opus eſt minerali, abſque delectu, omnique remoto diſcrimine, quodcumque indifferenter uſurpare, vitriolicum, nitroſum, marinum, alia aliis facile ſubrogantes, ac ſi nihil inter ſe diſtarent. Sed ſi diſſimilibus non paucis in chemica viribus valent, ut ex affinitatum tabulis patet, cur iiſdem omnino, ſimilibuſque in medicina valebunt?

Neque perfracte inficias ibo inter morbi effectus nullum locum fuiſſe humorum putredini, & corruptioni, in hanc tum ex febrilibus, tum præcipue ex perturbatis motibus humores propendere certum erat, proptereaque in hujus curatione antiſeptica proficere nonnihil.

Illud tantum contendo hanc putredinem, & corruptionem minime noſtri morbi cauſſam fuiſſe.

Ad gangrænam inducendam vergebat morbus. Hinc utiliſſima eſt china china, quæ præter vires tonicas ſyſtematis nervoſi laxitati opportunas cum adeo celebretur ad gangrænam

præſentem

præſentem, quid non ad eam imminentem præcavendam?

Vires morbus frangit. Suppetiæ ſunt naturæ afferendæ cardiacis, vires confirmandæ. Inter cardiaca, recreantia vires primas defero vino. Hoc in nervos ſpecificam vim exerere & hilaritas probat, quæ ejus potum ſequitur, & ipſa temulentia.

Utilis quoque aqua ſcordii ad varias indicationes, aqua theriacalis, elixir vitrioli, frigidæ potus, ſalia volatilia, & alia ſexcenta. A nobis uſurpata fuerunt quæ memoravimus, & ſatis habuimus.

In remediorum delectu animadvertendum eſt, ex eadem claſſe deſumpta alia præ aliis eidem morbo convenire pro variis rerum adjunctis. In remediis etenim hinc non ſimplex facultas ineſt, illinc in morbo pluribus indicationibus eſt providendum. Medici in eo maxime elucet ſolertia, ut morbo remedium opponat, quod totis viribus & facultatibus conjunctim ad varias ſimul ejus indicationes quadret. Ex. gr. in noſtro morbo laxitati cum

calore aucto ſpiritus vitrioli expedit, eidem laxitati cum calore minuto vinum aptius. Innumeræ hujuſmodi & morborum indicationes, & remediorum vires coire poſſunt in complicatis potiſſimum morbis, & remediis compoſitis.

Mentis, ſenſuum, memoriæ, & virium imbecillitas cum faciei habitu mutato, cachexiæ, & œdemata a morbo reliqua a ſuperſtite pariter ſyſtematis nervoſi debilitate proficiſcebantur. Caput cum viſceribus contentis morbi totius vim pertulit, cerebri, cerebelli, nervorumque pulpoſa ſubſtantia, languida elaſticitatis vi ægre in eam firmitatem reſtituebatur, a qua fuit dejecta.

Senſim, aere puro, c mpeſtri, moderato corporis exercitio, cibo eupepto, nervinis, cephalicis, corroborantibus confirmabantur.


Tubum inteſtinorum ſæpe diarrhæa exhauſtum, flatibus diſtentum, atque diſtractum debilitari quoque neceſſum fuit, & digeſtionis officinam languere, unde inappetentia, ciborum faſtidia anorexia & cæt. ſtomachica, myr-

rha

rha , maſtice , cortex aurantiorum , abſin-thium , conſerva juniperi , theriaca diateſſaron, elixiria varii generis ſtomachica utilia erant.

Capilli ex cutis , & capſularum laxitate defluentes ſponte renaſcebantur.

FINIS.



LO STAMPATORE

Essendomi fortunatamente capitata a mano la seguente molto espressiva ed onorifica lettera, scritta intorno al merito della presente operetta dal chiarissimo signor Dottore GIANFRANCESCO CIGNA di Mondovì, pubblico Professore di Anatomía nella Regia Università di Torino, socio di quella R. Accademía delle Scienze, e membro della Società Reale di Londra &c. &c. &c. al signor Dottore JEMINA autore della medesima, mi sono fatto premura di pubblicarla quì unita colle mie stampe, lusingandomi, che tanto l' uno, che l' altro non avrà a male questo mio tratto di libertà.

Amico Carissimo

Mi rallegro di cuore seco voi dell' eccellente vostro scritto, che ho letto con grande mia soddisfazione e profitto. Trovo nelle storie una precisione, una semplicità, ed una dignità veramente ippocratica. La teoría in generale mi sembra molto ingegnosa, e plausibile; in spezie le nuove, e sode riflessioni contro varie opinioni moderne ne rilevano il pregio. Lo stile nella sua semplicità è elegante, espressivo, ed animato, e lascia trasparire per tutto un

candore

candore , un amore del vero , una diligenza che caratterizza l' autore. Non dubito dunque che la pubblicazione sarà molto profittevole all' avanzamento della professione , e farà conoscere il vostro merito, e la vostra capacità, che è un peccato, che resti più lungo tempo nascosta, e conosciuta da pochi. Vi rimanderò questo vostro scritto pel corriere , se non mi si presenta prima altra sicura occasione. Riverite madama vostra , e conservatemi l' amor vostro , e di cuore vi abbraccio

Torino addì 1. aprile 1785.

Affezzionatissimo amico
Cigna.

IMPRIMATUR.

F. DOMINICUS HENRICUS CANTATORE Ordinis Præd. Provicarius S. Officii Montis-Regalis.

V. Pro R. Schol. Præfecto JOSEPH ROVERE Phil. & Geomet. Prof. Emeritus, ac Protomedicatus vices gerens.

V. GLORIA Prefetto per la Gran Cancelleria.

* *

*

JEMINA
DE
FEBRI EPIDEMICA.